SERIES

COMPENDIORUM THEOLOGICORUM

IN USUM

SCHOLARUM ACADEMICARUM

COMPENDIUM

DOGMATICES ET APOLOGETICES CHRISTIANAE.

AUCTORIBUS

L. G. PAREAU ET P. HOFSTEDE DE GROOT,

THEOLOGIAE PROFESSORIBUS IN ACADEMIA GRONINGANA.

GRONINGAE

Apud C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

1848.

LINEAMENTA
THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE,

UT DISQUISITIONIS

DE RELIGIONE UNA VERISSIMA ET PRAESTANTISSIMA,

SIVE

BREVIS CONSPECTUS DOGMATICES ET APOLOGETICES CHRISTIANAE.

IN SCHOLARUM SUARUM USUM
SCRIPSERUNT

L. G. PAREAU ET **P. HOFSTEDE DE GROOT,**
THEOLOGIAE PROFESSORES IN ACADEMIA GRONINGANA.

Editio tertia, aucta et emendata.

GRONINGAE
Apud C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

1848.

Ο τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν.

ATHANASIUS, περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Λόγου.

Πάντα θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πάντα.

L. S.

Jam exstat publice edita Encyclopaedia Theologi Christiani, delineata a. P. HOFSTEDE DE GROOT et L. G. PAREAU, editio altera, a. 1844. *Brevi prodibit* Hermeneutica Codicis Sacri, auctore L. G. PAREAU. Institutiones Historiae Ecclesiae Christianae delineavit P. HOFSTEDE DE GROOT, a. 1835. Initia institutionis Christianae moralis edidit L. G. PAREAU, a. 1842. Institutiones Theologiae naturalis delineatae *sunt* a P. HOFSTEDE DE GROOT, *quarum* editio tertia *his ipsis diebus prodit. Hisce nunc addimus hunc nostrum* Brevem conspectum Dogmatices et Apologetices Christianae. *Una igitur excepta Institutione Pastorali, quam aliquando a Collega nostro* G. MUURLING *editum iri speramus, de omnibus gravioribus disciplinae Theologicae partibus Compendia nostra nunc adsunt.*

Quod cum Divinae Providentiae beneficio nobis contigerit, cumque ita, nihil reticentes, apertissime mentem nostram omnem publice pronuntiaverimus; jam licet omnibus nostram Theologiae tractandae et Theologorum instituendorum rationem totam perspicere, quantum certe e scriptis libris id unquam fieri potest. Hanc igitur qui e mente nostra bene intelligere atque ita rite judicare vo-

lunt, ab iis enixe rogamus, ut non hanc illamve particulam, a reliquis quasi avulsam, separatim teneant, sed ut rationem nostram, qualis est, integram contemplentur et perspiciant.

Prouti id universe de omnibus Compendiis nostris dictum volumus, ita speciatim monemus de Dogmatica hacce nostra, ne inconsulto haec cum aliorum Dogmaticis libris componatur, quo facto fieri nequit, quin apud nos et multum desideretur, et quod exhibere studuimus, minime perspiciatur. Uberiorem locorum Codicis S. expositionem plerumque non exhibuimus, utpote, ex nostra sententia, ad Hermeneuticam et Exegesin pertinentem. Ne continuas quidem ubique exhibuimus allegationes dictorum ipsius Jesu ejusque Apostolorum, quod apte necessarioque fieri censemus in expositione Institutionis Christianae moralis, utpote agente de eo ipso, quod Jesus ejusque Apostoli ipsi constanter sibi proposuerunt; non item in Dogmatica, quae, ex nostro judicio, non est fidei doctrinae, a Jesu ejusque Apostolis datae, explicatio, sed nostra ipsorum philosopha disquisitio de universae religionis Christianae veritate. Neque vero etiam apud nos quaerat quis philosophum aliquod systema fundamenti loco positum, cui Christiana haec Dogmatica sit superstructa. Etenim, quantum licet, nihil aliunde sumtum in antecessum ponentes, ipsam religionem Christianam, uti eam Christus praebet, ratione nostra perspicere philosophice studuimus. Quam in rem opus quidem est philosophâ aliqua προπαιδείᾳ, sed hanc non in ipsa Dogmatica Christiana, verum in Theologia Naturali exhibendam judicavimus. Quapropter, qui hoc Dogmatices et Apologetices Compendium e nostra mente bene intelligere et rite vel judicare vel adhibere in suos usus vult, is ab Encyclopaedia nostra rite perspecta ad hocce Compendium procedat. Illa initium, hoc finem et quasi culmen totius institutionis Theologicae exhibet. Atque ideo in illa jam exposuimus, quo modo et qua de causa nobis videatur

cum reliquis disciplinis Theologicis ita juncta esse Dogmatica atque Apologetica Christiana, ut haec sit habenda philosopha disquisitio de universa re Christiana, ut religione una verissima et praestantissima.

Hoc monendum censuimus in gratiam omnium, quotquot hunc librum lecturi sunt. Caeterum ipsi eum edidimus praecipue in usum Juvenum, qui sanctissimo Theologorum negotio sese consecrant, imprimis eorum, qui curae nostrae committuntur. Quibus, a Deo precamur, ut opera haecce nostra emolumentum afferat in Christi honorem, Dei gloriam et Ecclesiae Christianae salutem!

Scripsimus mense Majo anni 1845.

Iis, quae ante triennium huic opusculo praefati sumus, pauca modo nobis nunc sunt addenda. Quam tunc prodituram dicebamus, Hermeneutica Codicis Sacri *edita est a.* 1846, Institutionum *autem* Theologiae naturalis tertia editio *jam a.* 1845 *prodiit. In hac ipsa Dogmatices et Apologetices editione nova procuranda non opus nobis fuit respicere ad ea, quae de hoc labore nostro ad indoctum vulgus parum accurate relata sunt: de his alibi actum est. Sed respicienda omnino duximus ea, quae in Opere* de Gids *a.* 1846 *p.* 689 *seqq. humanissime aeque atque doctissime de compendio nostro disseruit vir pietate non minus quam doctrina singulari insignis, eheu! nunc jam Theologiae Ecclesiaeque Christianae morte ereptus,* ABR. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, ABR. FIL. *Quamvis enim non in omnibus cum eo consentiremus atque speciatim non hocce concederemus, more compluribus Germanicis Theologis consueto, ex ideis mente in antecessum conceptis speculative exponenda esse dogmata Christiana; tamen cum alia multa ab eo monita tum ea ipsa, in quibus non omnino consentiendum existimavimus, nobis magnopere*

profuerunt ad mentem nostram dilucidius etiam quam antea exponendam. Ipsi eo modo, quo ex nostra de religione Christiana, utpote re historica, sentiendi ratione fieri poterat, speculativam disquisitionem genuinam illam nobisque hominibus, ea, quae Deus re factoque nobis exhibuit, ratione nostra perspicere conantibus, apprime congruentem, minime neglexímus, imo studiosius etiam, quam antea, nunc instituimus. Ubi ad veram graviorum dogmatum rationem a falsa aut imperfectiore eaque multis diu recepta distinguendam id facere posse videbatur, interdum historice indicavimus quid antiquissima statuerit Ecclesia, quid ab hac non raro recedens posterior aetas, et quam vere igitur, quod nunc nonnullis novum existimatur, idem sit antiquissimum dicendum. Denique mystica etiam Theologiae ratio, Nostratibus plerumque minus consueta et a nobis hactenus non satis distincte adhibita, in nova hac editione jure suo locum sibi aptum vindicavit. Etenim et nunc studuimus et postea studebimus nihil negligere, quo Divina religionis Christianae veritas et excellentia perspiciatur et persentiatur, quodque adeo tendat in hominum salutem, Divini Conservatoris honorem Patrisque Dei gloriam.

Scripsimus mense Septembri anni 1848.

OPUSCULI CONSPECTUS.

INTROITUS.

DE THEOLOGIA CHRISTIANA UNIVERSA.

PARS PRIOR,

THEORETICA, SIVE DOGMATICA CHRISTIANA.

INTROITUS.

DE DOGMATICA CHRISTIANA.

SECTIO I.

CHRISTOLOGIA.

A. Praeparatio.

B. Jesu christi persona.

C. Jesu christi opus.

D. Conjunctio personae et operis jesu christi inter se et cum aliis rebus.

SECTIO II.

THEOLOGIA.

SECTIO III.

ANTHROPOLOGIA.

SECTIO IV.

SOTERIOLOGIA.

DOGMATICES CONCLUSIO.

PARS POSTERIOR

PRACTICA, SIVE APOLOGETICA CHRISTIANA.

INTROITUS.

DE APOLOGETICA CHRISTIANA.

SECTIO I.

COMMENDATIO JESU CHRISTI.

A. PRAEPARATIO.

B. FONTIUM COMMENDATIO.

C. COMMENDATIO JESU CHRISTI.

SECTIO II.

COMMENDATIO ECCLESIAE CHRISTIANAE.

A. PRAEPARATIO.

SECTIO III.

COMMENDATIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.

APOLOGETICES CONCLUSIO.

THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE CONCLUSIO.

LINEAMENTA
THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE,

UT DISQUISITIONIS

DE RELIGIONE UNA VERISSIMA ET PRAESTANTISSIMA.

SIVE

BREVIS CONSPECTUS
DOGMATICES ET APOLOGETICES CHRISTIANAE.

INTROITUS.

DE THEOLOGIA CHRISTIANA UNIVERSA.

§ 1.

Undenam exsistat studium, Theologiam ut unum aliquod totum comprehendendi.

Homo, qui incipit semper a rebus singulis cognoscendis, quo cultior est, eo magis studet res quasque graviores mentis contemplatione complecti universas. Est enim ei propria ratio, qua et intelligere ipse summa quaeque ac perfectissima nititur et rerum omnium conjunctionem atque harmoniam perspicere studet. Hinc doctrinarum et disciplinarum exstiterunt systemata; hinc in philosophicis nominatim Metaphysica.

Itaque cultiores rerum humanarum indagatores religionis etiam sensus atque ideas in unum aliquod totum conjungere idque mente comprehendere et intelligere

universersum voluerunt. Ex quo, pro vario, quo id agebatur, studio, originem duxerunt et Theologiae naturalis systemata et Theodicaeae.

De Metaphysica, quid sit et unde sit orta, vide VAN HEUSDE, *Socratische School*, IV.

Hoc studium omnino esse humanum, liquet inde quoque, quod id non modo inter Christianos invenitur. Nam Theologiae naturalis conficiendae conamen inter Antiquos cernitur in CICERONE, *De Natura Deorum*, Theodicaeae in PLUTARCHO, *De sera Numinis vindicta*.

§ 2.

Hinc adest Christianae etiam Theologiae universae delineandae studium.

Inde fit, ut cultiores etiam Christiani et Theologi studuerint et studere debeant, Christianam Theologiam complecti universam. Ostenderunt id jamdiu multi eo ipso, quod Theologiae Christianae systema conderent, omnia, quae ad religionem Christianam pertinent, unâ complectens idque introitu Apologetico munitum. Et nunc, postquam variae disciplinae Theologicae separatim tractari coeptae sunt, has partes etiam simul comprehendere debemus, ut earum in unum aliquod totum conjunctionem perspiciamus. Partium tractatio, ad cognitionem totius etiam, utilis est, sed accedat oportet universa totius contemplatio; illa est quasi anatomia, haec physiologia.

Conf. nostra *Encyclopaedia Theologi Christiani*, § 97.

Ideo etiam nunc vocabulum *Theologiae* adhibetur duplici notione, altera qua omnes disciplinas Theologicas simul complectatur, altera, qua Dogmaticam cum introitu Apologetico designet. Tertia etiam adest notio, qua Dogmatices pars, quae de Deo agit, indicetur; sed de hac deinceps erit sermo.

§ 3.

Duplex Theologiae universae directio.

Ex Theologiae omnis naturâ sequitur, ejusmodi disquisitionem, sive Christianam sive aliam quamcunque

religionem spectet, necessario habere directionem alteram magis theoreticam, alteram magis practicam, atque ideo oriri et Dogmaticam et Apologeticam. Prius illa videtur, haec posterius tractanda.

Conferri potest, quod de Theologia naturali et de Theodicaea monitum est § 1. — De origine duplicis directionis conf. *Encyclop.* § 9. — Cur Dogmatica prius, posterius Apologetica tractanda?

§ 4.

Theologiae Christianae universae natura.

Ejus Theologiae Christianae universae natura haec est, ut sit *disquisitio philosopha de religionis Christianae veritate et praestantia.* Est igitur philosopha disquisitio de rei historicae pretio theoretico et practico: et *philosopha* quidem, quia ex ipso philosopho ingenii humani studio nascitur et rationis philosophantis ope unice peragi potest, coll. § 1; de rei autem *historicae* pretio, quia de religione, quae historice exstitit et adest, Christianâ agit; de *pretio* hocce *theoretico* et *practico*, quia duplex naturâ suâ ejus est directio, coll. § 3; denique *disquisitio*, quia grave ejus negotium in hoc est positum, ut fontes, unde hauriendum sit, indagentur, ac methodus, qua sit procedendum, investigetur, ut sic ex iis fontibus eâ ratione omnes placita singula ipsi haurire queant et haec pro suâ quisque ingenii vi et exponere et perficere.

Norma, ex qua et veritas illa judicanda et praestantia haec aestimanda est philosophice, est posita in *natura humana*, ad quam vera philosophia omnia exigit, et cujus ingenio atque necessitatibus plane satisfit religione Christianâ. Quae natura humana uti vel magis e contemplatione vel magis ex experientia nostri cognoscitur, ita disquisitio vel speculativa vel mystica magis est. Sed de hac norma deinceps videbimus, ubi de Dogmatica et Apologetica separatim agemus.

Talem rationi philosophanti locum in Theologia concessum esse jam in antiqua Ecclesia Reformata, liquet e *Confessione Belgica*, Art. 2, ubi Deus ex rerum

1 *

natura aeque atque ex S. Scriptura dicitur a nobis cognosci, et e *Catechesi Palatina*, Quaest. 13—17, ubi rationis ope quaeritur, quali nobis opus sit Conservatore. Id ipsum hodie clarius etiam perspici, indicavimus *Encyclop.* § 97 in annot.

Aliqua ejus pars modo est comparatio instituta inter Theologiam Christianam et doctrinam humanam omnem. Praecipue ea religionem Christianam ipsam contemplatur, ut hujus veritatem et excellentiam discernat et exponat.

Comparatio illa dicitur fere conciliatio fidei et scientiae, vel etiam religionis Christianae et philosophiae humanae. Quas conciliari non posse, multi existimarunt; quod ideo praesertim factum est, quia fidei et scientiae, vel religionis et philosophiae, non rectam sibi informabant notionem.

§ 5.

Ejusdem utilitas.

Est ea Theologia Christiana universa vulgaribus quidem Christianis non apta. Sed eorum cultissimis et Theologis maxime doctis est utilissima et necessaria, non ut in subtilibus quibusque de Dei, Christi aut hominis naturâ, per se spectatâ, quaestionibus haereant, sed ut omnem *religionis* Christianae veritatem et praestantiam clare et penitus perspiciant et persentiant ipsi, eamque religionem aliis igitur melius et exponere et commendare possint. Conf. § 1.

§ 6.

Historia ejus.

Conspectum historiae cum Dogmatices tum Apologetices dedimus in *Encyclop.* § 101, 113. Hîc tantum monemus, in cultissimorum mente fere aliquam Theologiam Christianam universam adfuisse, et fere utramque ejus directionem adfuisse conjunctam. In Jesu mente animoque ea conjunctio, et perfecta quidem, aderat, vid. Joh. 17; sed hanc non diserte solebat profiteri, verum, ex ea tamen profectus, homines instituebat. A Paulo utraque pro eo tempore tractata est conjuncta, praecipue

in Epist. ad Romanos. Deinde Apologetae imprimis Theologiam tractarunt universam, vel Theologi hanc tractantes consilio ducti sunt Apologetico. Denique Recentiorum systemata uno Theologiae nomine utrumque comprehenderunt; conf. § 2.

§ 7.

Disquisitio illa non eadem semper.

Tota illa disquisitio de religionis Christianae veritate atque praestantia pro temporis cujusque varietate identidem varia est et formâ suâ et materiâ.

Formam si spectas, accommodata esse debet aevo et hominibus, quorum in gratiam instituitur. Itaque vel unus idemque homo formâ utetur diversâ ad diversos, vid. Act. capp. 17, 22, 26, inter se comparata, itemque Ep. ad Rom. ad Gal. ad Ephes. Haec autem forma esse potest vel magis *historica*, traditioni imprimis nixa, ut apud Romano- et Graeco-Catholicos; vel magis *exegetica*, ut apud multos Protestantes; vel magis *philosopha*, ut apud Patres Alexandrinos, Scholasticos medii aevi, et apud recentiores in Germania, quibus speculativa dicitur; vel magis *mystica*, ut apud Augustinum, Bernhardum et Mysticos medii aevi, inter recentiores apud Schleiermacherum.

Una quaeque methodus suum habet pretium. Mere historica vero aut mere exegetica ratio veram Dogmaticam exhibere nequit. Conf. § 4. Wessel Gansfortius singularum pretium conjungere egregie studuit.

Sed etiam, si ad materiam attendis, alio tempore alia vel adest vel deest materia, aliaeque res vel magni vel parvi pretii habentur, aut etiam minus magisve sentiuntur et perspiciuntur. Sic Apostoli imprimis docere debebant, Jesum esse a Prophetis promissum Messiam, et, Lege Mosaicâ abrogatâ, Gentilium etiam esse Servatorem; quod utrumque in Judaeorum solorum fiebat gratiam, neque igitur a nobis fieri opus est, nisi quando cum Judaeis disputamus. Primo tempore miracula Jesu primarii erant pretii; nunc ipsa Jesu indoles ἀναμάρτητος et sancta plus in hominum animis valet.

Apostoli docere vix poterant, quam admirabilem in gente humana regeneranda vim Jesus exsereret; quod nostro aevo, latius jam extensâ Ecclesiâ, argumentum est gravissimi ponderis. Similiter Ecclesiae est progressio interna. Sic Augustinus non alia quidem sed profundiora de peccato docuit, experientiâ edoctus et philosophiâ adjutus, quam antea Paulus; porro Bernhardus de gratia Dei et et libertate nostra, Lutherus de fide et justificatione, Schleiermacher de sensus religiosi vi plura et enucleatiora exposuerunt, quam in N. F[is] scriptis inveniuntur. Neque hoc mirandum est, cum Dominus adhuc vivat Ecclesiamque suam perficiat.

Ex hac diversitate liquet, uti formâ, ita neque materie licere nobis subsistere unice in iis, quae a Jesu et Apostolis sunt tradita, aut a Reformatoribus aliisve Theologis exhibita. Conf. *Encyclop.* 103—105.

§ 8.

Ejusdem argumentum semper unum.

Sed argumentum, quod Theologia haec universa disquirit, omnibus temporibus unum idemque esse debet, nempe, ut ex ipsius jam nomine *Christianae* Theologiae liquet, ipse Jesus Christus Christique in genere humano beando consilium et negotium. Itaque et hoc semper actum est in Ecclesia Christiana; licet magis aut minus bonâ et sibi consciâ ratione id egerint Theologi.

Conf. *Encyclop.* § 101, 113.

THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE

PARS PRIOR,

THEORETICA,
SIVE
DOGMATICA CHRISTIANA.

INTROITUS.
DE DOGMATICA CHRISTIANA.

§ 9.

Religio est, eaque verissima, quam Jesus voluit.

Jesus Christus, ipse perfectissimus, Ecclesiam Christianam condidit, in qua socii ad ipsius similitudinem adducerentur, ipsiusque igitur vitam in se gererent conjuncti; vid. *Encyclop.* § 2—5. Haec vita est *religio*, eaque *verissima*, sive perfectissima naturae humanae cum Deo conjunctio; vid. Joh. 17.

Quas v. c. REINHARDUS in libro, *Ueber den Plan, welchen der Stifter der christl. Religion entwarf*, exposuit diversas consilii Jesu partes (unum verum docere Deum eumque hominum Patrem; homines amore cum Deo Patre suo et cum hominibus Dei filiis conjungere; universam reformare societatem humanam), hae ex Jesu mente pertinent omnes ad religionem.

Unam verissimam dicimus religionem Christianam, non *unam veram*. Oppositio enim religionum verarum et falsarum inepta est. Nulla, nisi quam quis mentiatur, prorsus falsa est, quia religio quaevis est ad Divinam

aliquam naturam colendam impellens; nulla etiam in hominibus, multum errantibus, prorsus est vera. Verissima autem est una religio Christiana; imo *absolute vera* est, qualis in ipso Jesu Christo plane perfecta aderat et ex ipsius mente in Christianis magis magisque fieri debet.

§ 10.

Religionis natura universe spectata.

Religionis sedes est in animo sentiente et incitante. Sentit animus nostram cum Deo conjunctionem, incitat ad huic convenienter volendum, cogitandum, agendum.

Conjunctio autem inter naturas ratione praeditas perfectissima est amor. Itaque quo verior est religio, eo magis est erga Deum amor, respondens amori Dei, quo erga omnes fertur homines. Similiter vinculum liberorum cum parentibus quo verius est, eo magis est illorum amor, horum caritati respondens.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Instit. Theol. nat.* edit. 3[ae] § XXXVI, XXXIX. Religio non est dicenda cognitio Dei et praxis huic consequens, cum haec definitio a manifestatione duplici religionis sit petita, non ab ipsius natura interiore; ipsa est fons istiusmodi cognitionis et praxeos. Similiter liberorum erga parentes pietatem nemo rite dixerit esse cognitionem eorum et praxin huic consentaneam, sed amorem animo insidentem, ejus utriusque fontem. Quod autem *animum* dicimus sedem religionis, Nederlandice enuntiandum non est *het gevoel*, sed *het gemoed;* meritoque igitur pii omnes hoc volunt, tanquam in religione primarium, quod vernacule enuntiamus *gemoedelijke godsvrucht.*

§ 11.

Religionis analysis.

Religionis igitur *objectum* est Deus, qui spectandus est quatenus cum hominibus est junctus, *subjectum* homo, contemplandus ut junctus cum Deo, *copula* conjunctio ipsa, quae ipsius religionis vim omnem complectitur, atque ideo spectanda est in sua origine, natura, progressu, perfectione.

Ut in notionibus analytice exponendis saepe sermo est de objecto, subjecto et copula: ita iisdem distinctionibus opus est in animi sensu studioque analytice explorando.

§ 12.

Quaenam Christiana sit religio.

Religionem aliquam habet quisquis vere homo est. Sed est ea varia admodum in hominibus cum pro gradu perfectionis, quo per se spectata gaudet, tum pro modo, quo in his illisve hominibus excitatur perficiturque. Christiana religio est, quam Christus in hominibus excitat perficitque. Et haec propter id ipsum, quod Christus perfectissimus est, verissima est religio. Conf. § 9.

Quaestio est, Patrum memoriâ excitata, num res Christiana perfici possit; quam quo sensu negare, quo affirmare liceat, exposuit L. G. PAREAU, in *Initiis Institutionis Christianae moralis*, § V, 10.

§ 13.

Quis eam efficiat.

Oritur haec tota e Christo, in nobis eam excitante et perficiente. Non eam modo docuit, praecepit, exemplo suo commendavit Jesus; sed adventu suo in terram, doctrinâ, exemplo, morte, cui se in hominum salutem tradidit, vitâ suâ coelesti Ecclesiaeque curâ, verbo, omni suâ persona et opere eam Christus in hominibus efficit perficitque.

Conf. supra § 8. Sic se rem habere, exposuimus *Encyclop.* § 2—4, conf. § 27. Ex ipsius Jesu mente id ulterius explicitum est a PAREAU, in *Init. Institut. Christ. moralis* § XIX—XXI.

§ 14.

Quis primus ejus sit auctor.

Auctor primus hujus religionis est Deus, a quo omnis religio est repetenda, qui vero specialiter Christum et instituit et misit in terram et ita omnem ejus sortem moderatus est et eum perpetuum praebet Ecclesiae suae principem, ut per hunc effici in omnibus verissima religio possit, atque ideo reliqua simul religio omnis emendari et perfici.

Hoc ex Jesu mente expositum videas in *Initiis* modo laud. § XVIII.

§ 15.

Religionis omnis manifestatio.

Religio omnis se manifestat cultu sacro, artibus, vita. Quando sui sibi conscia fit, etiam, quid sit et spectet, enuntiat narrationibus sive veris sive mythicis, et praeterea, si perfectior est, placitis sive rationis excultae de ipsa effatis.

His omnibus, quibus religio se manifestat, etiam excitatur ipsa perficiturque in aliis hominibus.

De hac re conf. *Encyclop.* § 7, 9, 24, *Theol. nat.* § XXXVI.

§ 16.

Undenam ergo Theologia Dogmatica.

Cum religio, sui sibi conscia eaque perfectior, sese manifestet etiam placitis de eo, quod ipsa est et spectat, referentibus, hinc, coll. § 1—3, oritur erudita sive philosopha disquisitio et expositio veritatis, quae his placitis, δόγμασι, continetur: quae est *Theologia* sensu strictiore, sive *Dogmatica.*

Est igitur *theologiae* Christianae totius non initium, sed culmen Dogmatica. Neque Dogmatica est *doctrina fidei*, quae ad institutionem moralem pertinet, sed religionis totius philosopha disquisitio. Conf. § 2—4 et *Encycl.* § 98. Simul vero ex his § 15, 16 liquet, ab ipsa *religione* Dogmaticam aeque esse discernendam atque a virtute Ethicam. Ergo qui Dogmaticâ edocendâ instillare religionem volunt, similes sunt parentibus, qui, ut ad virtutem liberos suos informent, institutionis suae loco utantur Ethica. Et qui religionis criterium in alicujus orthodoxia dogmatica ponunt, idem agunt, acsi quis ex ethicis alicujus placitis de ejus virtute judicet. Imo Dogmatica est philosopha de religione disquisitio et expositio, quam adeo neque Jesus neque ejus Apostoli praebuerunt. Ille non dogmaticae, sed fidei est ἀρχηγὸς et τελειωτὴς, Hebr. 12: 2, neque igitur doctrinâ, sed personâ suâ et opere toto suos, ipsi fidentes, secum jungebat, coll. § 13; quo fiebat, ut vel hoc ipsum, Jesum esse Messiam, ii sponte sua agnoscerent, Matth. 16: 15, 16. Hi Euan-

gelio praedicando, id est ipso annuntiando Jesu Christo, homines, simplices ètiam et Dogmaticae intelligendae ne capaces quidem, ad religionem veram ducebant, 1 Corinth. 2: 2 (coll. 1 Cor. 15: 1—8, Gal. 3: 1), Joh. 20: 31, 1 Joh. 1: 1—3. Hujus igitur *religionis* initium Jesus ejusque Apostoli non in Dogmatices alicujus agnitione, sed in fide, in ipso Jesu Christo repositâ, quaerebant, ejusdem autem criterium non in orthodoxia ponebant, sed in amore, Jesu amorem sequente, Joh. 13: 34, 35.

§ 17.

Dogmatices cum universalis, tum Christianae a doctrinis cognatis distinctio.

Universe Dogmatica differt naturâ suâ tum a *Metaphysica* tum ab *Ethica.* Metaphysica, sive disquisitio de interna mundi natura et cum Deo conjunctione, est totum, cujus pars est Dogmatica. Ethica est disquisitio de virtute sive de religionis manifestatione morali.

Porro est aliqua religionis cum per se spectatae, tum omnium ejus formarum, Gentilis, Judaicae, Christianae, Mohammedicae, disquisitio philosophico-historica universalis: haec potest dici *philosophia religionis cujusque.* Talem disquisitionem v. c. instituit DE WETTE in libro, *Ueber die Religion, ihr Wesen, ihre Erscheinungsformen und ihren Einfluss auf das Leben.* Est vero etiam religionis, qualis tantummodo per se spectata naturâ suâ est, disquisitio et expositio philosopha, quae appellatur *Philosophia religionis* sive *Theologia naturalis.* Pariter est enarratio religionis solius Gentilis, quae est *Mythologia.* Denique religionis Judaicae et Christianae est disquisitio singularis historico-philosopha, quae dici potest *Dogmatica* Judaica et Christiana.

Dogmatica Graeca, Indica vel alia gentilis adesse nequit. Etenim si inter Gentiles adest et philosophia et religio, ibi mox fiunt hostes. Quod v. c. inter Graecos antiquos satis apparuit. Sed haec est religionis Christianae praestantia, ut accuratissimam veri inquisitionem a philosophia institutam ferre possit,

neque subtilius explorata evanescat, imo emendetur et perficiatur. Quod docet Patrum Alexandrinorum, Scholasticorum meliorum, Philosophorum recentioris aevi exemplum. Conf. L. G. PAREAU, *Oratio de Christianae religionis vi in doctrinis disciplinisque humanis*, Gron. 1843, p. 7—10.

Theologia naturalis non modo ea, quae ante Christum et extra eum inveniuntur, sed etiam Christi et Christianae ecclesiae historiam adhibet, ut quid naturâ suâ sit religio, videat. Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* § IV, 5. Neque igitur decet omnia illic tractanda, hîc in Dogmatica Christiana item tractare. Illa philosophice disquirit, quid *sit* religio *per se spectata*, haec historico-philosophice, quomodo *efficiatur* per Christum religio *verissima.*

§ 18.

Dogmatices Christianae natura.

Dogmatica Christiana § 4 jam dicta est disquisitio philosopha de religionis Christianae veritate.

Jam vero Dogmatices Christianae nomine nondum insigniri potest indagatio eorum, quae Jesus ipse aut etiam ipsius Apostoli existimandi sunt de religione revera docuisse. Haec disquisitio mere est historica, quam instituit Theologia Biblica, ex Jesu Apostolorumque verbis eruta.

Quum Schola Ernestiana, Doederlein, Morus, tum etiam Reinhard, Muntinghe, Knapp aliique viderent, se non amplius posse tradere Theologiam ecclesiasticam e Symbolis petitam, ei substituerunt Theologiam N. F^is^ exegeticam, putantes hanc esse Dogmaticam Christianam; de ea vero conf. *Encyclop.* § 103.

Dogmatica Christiana et philosophice inquirit in fontem religionis Christianae, et hoc ipsum agit consilio philosophico; conf. § 4.

In fontem religionis Christianae, qui est ipse Jesus Christus, coll. § 13, sic inquirimus in Dogmatica, ut nos ipsi, rationis excultae viribus utentes, videamus atque ostendamus, quid revera in Jesu Christo patefactum sit de Deo, de homine hominisque cum Deo conjunctione, et quid revera a Jesu Christo praestitum

sit ad hanc conjunctionem efficiendam perficiendamque.

Conf. *Encyclop.* § 107. Hoc Jesus voluit ut ipsius sectatores ipsi inquirerent et perspicerent, Matth. 16: 15, Joh. 14: 4—9.

De re historica non ita philosophandum esse, ut a priori de ea statuatur, rite monuit C. O. MÜLLER, in praefat. libri *Die Dorier:* „Nur gar zu leicht „wird das geschichtliche Leben durch den allgemei- „nen Begriff getödtet, und est scheint die Schranke „der historischen wie naturgeschichtlichen Forschung „zu sein, den tiefen Zusammenhang des factisch Er- „kannten einzusehen und so zum Allgemeinen aufzu- „steigen, aber nie vom Allgemeinen ab das Beson- „dere zu gestalten."

Inquirimus autem consilio hoc, ut intelligamus atque indicemus, verum esse, quod in Jesu Christo patefit, vereque sanctum, quod per eum efficitur, atque ideo verissimam esse religionem, quae a Jesu Christo excitatur. Verum autem id esse intelligimus, coll. § 11, quod Dei, hominis et conjunctionis, quae Deum inter et hominem intercedit, naturae, undecunque rite cognitae, consentaneum esse, nos homines sentire et perspicere ipsi possumus. Si magis ad id, quod *sentire* possumus, attendatur, *mystica* magis fit Dogmatica, sin ad id quod *perspicere*, fit magis *speculativa;* conf. § 7. Verae Philosophiae, atque adeo germanae etiam Dogmaticae est, aeque ad hoc, quod mentis contemplatione perspici, atque ad id, quod animi tactu sentiri potest, attendere, utramque autem naturae humanae partem rationis ope philosophice perscrutari; ut ita per hanc Dogmaticam clare conspiciamus, religionem hanc, ex universae naturae humanae normâ exactam, esse verissimam. Conf. § 4.

Conf. *Encyclop,* § 108. Ad ejusmodi disquisitionem de religionis suae veritate ipse Jesus incitavit cum verbis Joh. 7: 17 (quibuscum conf. 1 Cor. 10: 15), tum ipsâ universâ methodo hac instituendi, qua perpetuâ utebatur, ut nihil solâ suâ auctoritate injungeret, omnia judicio sensuique humano comprobanda praeberet; vide v. c. Luc. 10: 36. Conf. LA CLÉ, *De Jesu Christi instituendi methodo, hominum ingenia excolente, Gron.* 1835.

Mysteria, ex Jesu Apostolorumque mente sunt, non quaedam abscondita placita, per Jesum nobis proposita credenda, a nobis autem non intelligenda, verum res antea absconditae, per Jesum Christum in plena luce patefactae, vid. v. c. Matth. 13: 11, 17, Rom. 11: 25. Conf. J. BOELES, *de mysteriis in religione Christiana*, *Gron.* 1843, qui ostendit, deinde in Ecclesia ortum esse dicendi modum hunc, ut mysteria, mysteriorum Graecorum ad instar, primum appellarentur *ritus*, gentilibus et cathechumenis, tanquam profanis, *abscondendi*, seriore tempore, quum religio Christiana facta esset publica, nonnulla *dogmata*, vel obscura vel absurda, ideoque *non intelligenda.*

Universe conf. VAN OORDT, *Oratio*, *de vero in Theologia unice sectando*, *L. B.* 1840.

Itaque Dogmatica Christiana inquirit, et *quid* in religionis Christianae causa sit verum sive in Christo vere patefactum atque per eum vere praestitum, et *cur* id verum sive a nobis hominibus ut verum necessario agnoscendum esse pateat. Inquirit autem utrumque ope rationis, philosophando perspicere conantis *illud* ex historia, *hoc* ex ipsa rerum natura. Quorum neutrum ad philosopham de religionis Christianae veritate disquisitionem deesse potest. *Hoc* si non ex rerum natura judicetur, sed in auctoritate quacunque subsistatur, non est *philosopha* de religione Christianâ disquisitio, quae hoc ipsum spectat, ut rei Divinae vim veritatemque ratione humanâ perspicere conetur. *Illud* si non ex historia repetatur, sed ideis placitisve mente in antecessum conceptis statuatur, quid verum esse debeat, ne *disquisitio* quidem *de religione Christiana*, re historicâ, dici meretur, nedum *philosopha* illa, cum philosophiae non sit rei historicae loco mentis ideas substituere, sed ipsam, ut est, rem in facto positam contemplari atque intelligere.

De ejusmodi *philosopha* inquisitione minor est inter Theologos dissensus, quam multis videtur adesse. Namque eam necessariam esse sentientes, Theologi fere in Introitu Systematis Dogmatici constitu-

ere conati sunt criteria verae religionis, quae ratio humana ex rei naturâ hauserit; vide v. c. MUNTINGHE, *Theol. Christ.* Tom I, § 20, 36, 66. Ipsique Theologi, qui Supranaturalistae dicti sunt, non tantum in multis locis, v. c. de trinitate, praedestinatione, satisfactione, philosophati sunt suo modo de placitis Ecclesiasticis, sed etiam rationis ope inquisiverunt in ipsum Supranaturalismi sui fundamentum, auctoritatem Divinam, Jesu et Apostolorum doctrinae tribuendam. — De Rationalismi et Supranaturalismi pugna conf. K. HASE, *Lehrb. der Evangelischen Dogmatik.*, 2[ae] edit. § 24—28, 3[ae] edit. § 20—25.

Nos, minus hac in re tribuentes rationi philosophanti, quam ei tribuunt aut Rationalistae aut ipsi adeo Supranaturalistae, de fonte religionis Christianae, qui est ipse Jesus Christus, nihil philosophando a priori statuendum existimamus, sed hunc, uti a Deo nobis datus est et in historia igitur apparet, rationis ope inquirendum censemus, atque operam dandam esse, ut et cur hic fons nobis datus sit, vere intelligamus, et, quae hinc hauserimus, vera esse ipsi perspiciamus ope ejusdem rationis, cum aliis modis tum imprimis per religionis ipsius Christianae vim in nobis excultae. Et vero hoc Theologum decet. Scilicet germano *Christiano* fidei, qua se Jesu Christo tradit, fundamentum est et esse debet in eo, quod ipse animo suo humano persentit Jesu Christi Divinam praestantiam et vim salutarem; et quo magis excolitur, eo magis, ope etiam ipsius N. F., ratiocinando ipse intelligit et in Jesu Christo cernit, quae docet N. F[is] de eo referens et ex eo petita doctrina. Ergo *philosophi Christiani*, id est Theologi, sane est, inquirere, *et* ut quae in Christo patefacta sunt magis magisque omnia ipse perspiciat; *et* ut non modo obscure sentiat, sed etiam philosophando clare cernat, humanae naturae cum Deo cognationi et vinculo vere congruentissima esse, quae praebet unus Jesus Christus. Iterum conferri potest *Encyclop.* § 97 in *annot.* Quomodo in natura humana fundamentum sit fidei Christianae, atque adeo

quomodo illa etiam norma sit, ex qua religionis Christianae veritas aeque ac praestantia philosophice aestimari potest et debet, exposuit L. G. PAREAU, *Het Christendom zijn eigene apologie in zich dragende; of: waardoor is het voornamelijk, dat het Christendom zich zelf verdedigt en aanbeveelt?* in *Waarheid in Liefde*, 1848, III.

§ 19.

Cur et quando haec Dogmatica sit Christiana.

Quia omnia sua petit e patefactione Divina, in Christo nobis data, ideo haec Dogmatica est Christiana; conf. § 12, 13.

Ergo videndum, ne confundatur, ut fit a multis, Dogmatica Christiana *aut* cum Theologiâ Biblicâ, sive universali, sive e N. F^is libris haustâ, conf. § 18; *aut* cum Theologiâ Naturali, ita ut haec tradatur Jesu verbis ornata, ut Rationalistae fecerunt, vel ut haec certe commisceatur cum iis, quae e Christo sunt haurienda, ut Scholastici et ipse etiam Calvinus; *aut* cum Ecclesiae alicujus certo tempore agnitâ doctrinâ, erudite expositâ, ut fecit Schleiermacher.

Hic de proposito suo ipse ita refert, *Der Christliche Glaube* T. I, p. 125.

Talem, qualem diximus, Dogmaticam Christianam commendare, uti Christi menti est consentaneum, coll. § 18. p. 13, ita etiam Ecclesiae Reformatae principiis congruum. Hujus enim duo tantum principia haec sunt: alterum formale, liberam esse unicuique Christiano Codicis Sacri et Euangelii eo contenti inquisitionem; materiale alterum, a fide habendâ gratiae Divinae, per unicum Conservatorem Jesum Christum concessae, salutem omnem esse repetendam. De priori vide *Confessionis Belgicae* Art. 7, 32, de posteriori Art. 29 et *Catecheseos Palat.* Quaest. 1. Horum autem principiorum vere Euangelicorum vi, ut Reformatos omnes, sic ipsam Ecclesiam Reformatam oportet non in eodem semper remanere statu, sed constanter magis, ut pietate, ita veri cognitione per Christum, unicum Ecclesiae suae Caput, ipsam re-

gens, progredi et perfici. Conf. *Encyclop.* § 105 et N. C. KIST, *Oratio de inchoata, necdum perfecta Sacrorum emendatione*, in *Ann. Acad. L. B. a.* 1836—1837.

Si autem quaeritur, quando Dogmatica haec naturae suae respondeat, sive quando habenda sit vere Christiana esse; tum est, si totum ejus argumentum, coll § 8, in eo conspirat, ut perspiciatur, Jesum Christum vere esse Divinum generis humani Conservatorem, sive, coll. § 9, auctore Divinitus Jesu Christo ortam esse et perpetuo perfici in genere humano verissimam religionem.

Antiquiores Theologi Dogmatices argumentum constituebant Articulos quosdam, quos *fundamentales* appellabant; sic etiamnunc MUNTINGHE, T. I, p. 68—72. Paulus vero unum modo noverat *fundamentum* Ecclesiae, idemque igitur Theologiae et fundamentum et argumentum fundamentale, ipsum Jesum Christum, 1 Cor. 3: 11. — Cavendum igitur, ne in Dogmatica *aut* hominem Jesum, qualem historice sese manifestavit, tollamus; *aut* eum reliquis hominibus aequalem, non potiorem planeque Divinum omnium Sospitatorem proponamus, qui duo errores Jesum Christum in *historia* nobis conspicuum perverse exhibent; *aut* humanum genus ita depravatum exhibeamus, ut naturâ suâ nequeat conservari; *aut* idem ita suâ sibi vi sufficiens, ut Conservatore non indigeat, qui errores duo Jesu Christi vitam in *nobis* prorsus pervertunt. Quorum si quid statuatur, agnosci Jesus Divinus generis humani Conservator rite non potest, neque igitur Dogmatica esse vere Christiana. Scite hoc ita exposuit SCHLEIERMACHER, l. l. T. I, p. 137—142, ut diceret, vocibus ex historia Dogmatum desumtis, cavendum esse a Docetismo et Nazaraeismo, atque a Manichaeismo et Pelagianismo, quibus a vera natura religionis Christianae recedatur.

§ 20.

Dogmatices Christianae distributio.

Dogmatica Christiana incipiat a Christo, coll. § 12, 13. Hinc procedat ad Deum, hominem, et modum quo oritur, est perficiturque haec religio Christiana in singulis totoque genere humano, coll. § 11.

Itaque Sectiones sunt quatuor: 1) Christologia, 2) Theologia, 3) Anthropologia, 4) Soteriologia.

§ 21.

Conjunctio Dogmatices Christianae cum reliquis Theologiae Christianae partibus.

Quae in exegesi N. F^is, historia Ecclesiae, institutione Christiana morali et pastorali exponuntur, ut pateat, *qualis sit Jesus Christus et quid velit agatque*, haec uno intuitu conjungere et conjuncta contemplari Dogmatica studet, ut appareat, *plane veram a Jesu proficisci religionem.*

Conf. *Encyclop.* § 100, 106—108.

Specialiter ex reliquis disciplinis, praesertim exegesi N. F^is et historia Ecclesiae, cognoscenda est historia Theologiae et Dogmatum. Etenim est sane Dogmatici, ut quid in Jesu Christo revera patefactum sit, ipse ratiocinando inquirat ostendatque, et, cur id verum sit, philosophando ipse intelligat atque indicet, coll. § 18; sed idem tamen et eo pervenit praeparatus aliorum Theologorum operâ, Jesu imprimis ejusque Apostolorum doctrinâ, et, si eo se pervenisse persuasum sibi habet, lubenter tamen illorum, et praecipue horum effatis suam disquisitionem confirmabit. Ergo in singulis Dogmatices partibus exponendis consulatur doctrina, quae a Jesu inde per saeculorum decursum est prolata, ut appareat, quid actum jam sit, quid supersit agendum. Et in gravioribus certe ac difficilioribus locis sapientium Theologorum, imprimis Apostolorum, utpote qui immediate ab ipso Jesu informati et edocti sunt, omniumque maxime ipsius Jesu Christi, quippe unius perfecti Doctoris, effata commemorentur; quibus nostrarum disquisitionum summam non modo aliis commendemus, sed etiam nobismet ipsis confirmemus. — Hinc liquet, quatenus Dogmatica etiam esse debeat *exegetica* et *historica*. Conf. § 7.

Conf. VAN OORDT, *Wat is de leer van Jezus en de Apostelen in betrekking tot de openbaring in Christus gegeven?* in *Waarheid in Liefde*, 1839, IV, et *Onderzoek naar de bronnen, waaruit Paulus voor zich zelven het Christendom heeft leeren kennen*, ibid. 1844,

II, atque VAN DER WOUDE, *Op welke gronden rust het gezag van de Apostelen onzes Heeren en van hunne Schriften? Hoedanig is dat gezag en hoever strekt het zich uit?* ibid. 1844, III.

Quomodo Theologia possit esse *historica*, *speculativa* et *mystica*, expositum videas in Dr. F. THEREMIN's *Avondstonden, in het Nederduitsch uitgegeven door* W. R. VAN HOËVELL, Gron. 1836, ubi est disquisitio: *Over het wezen der Mystieke Godgeleerdheid.*

Jesu de se effatis, ex sui conscientia ortis, in Christologia alium etiam locum esse assignandum, deinde monebimus.

§ 22.

Conjunctio cum aliis disciplinis humanis.

De Christo, de Deo, de homine aliae etiam disciplinae humanae agunt. De Christo agat Historia humanitatis, necesse est, de Deo agat cum Physica tum Metaphysica, de homine Physiologia et Psychologia. Dogmatica autem Christiana unice agit de Deo, quatenus cum hominibus junctus est, de homine, quatenus cum Deo est conjunctus, de Christo, quatenus cum utroque, et de his omnibus unice eo consilio, ut appareat, per Christum effici verissimam religionem, coll. § 11.

Multae igitur quaestiones subtiliores, a philosophis agitatae et propterea etiam in Theologia naturali non omnino praetermittendae, de Dei et de hominis naturâ per se spectata, ad Dogmaticam Christianam non pertinent. Ut Christi consilium minime metaphysicum, totum quantum vero religiosum est, ita Dogmatices Christianae est philosophari de Deo, qui sui patefactione et omni in homines actione *religionem* efficit, de homine, qui capax et indigens est *religionis*, de Christo, qui vitâ suâ omni cum in terris actâ, tum perpetuâ coelesti ad *religionem* eamque perfectam genus humanum informat, et de hac ipsâ hominis per Christum effectâ cum Deo conjunctione intimâ, quae est ipsa verissima *religio*. Uti quaestionem de corporis animique diversitate et conjunctione similesque disquisitiones subtiliores et metaphysicas nemo instituat in philosopha

contemplatione institutionis ad *pietatem*, quae liberis erga parentes esse debet; ita suis se limitibus continere et suam rem agere debet haec Dogmatica Christiana, quae est *de verissima religione*, ad quam per Christum Deus nos informat, disquisitio philosopha. In hac philosophandum omnino est idque et mystice et speculative, coll. § 18, sed uno hoc consilio, ut quomodo *religio verissima* per Christum *efficiatur*, appareat. Imo ipsa Theologia naturalis et Philosophia, si non ex ideis a priori constitutis sibi fingere, sed vere cernere vult, quid *sit* Deus, quid *sit* homo, necessario id efficere debet ex rerum natura atque historia omni, utpote universali *patefactione ejus, quod est* Deus et homo. Quid? quod philosophiae parens Socrates jam vidit, ne in philosophia quidem summum aut praecipuum hoc esse, ut de eo, quid sit Deus aut homo, subtilissime quaerat, sed philosophiam esse de coelo devocandam, ut de moribus hominum rebusque bonis et malis disserat.

§ 23.

Dogmatices et fidei Christianae conjunctio.

Fide ad intellectum, non intellectu ad fidem procedimus in causa religionis nostrae. Religio enim Christiana non ratiociniis menti instillatur, sed institutione in animo excitatur, neque vero etiam intelligitur, nisi ab hoc, qui eam suo ipse animo expertus est. Sed qui fidem Christo habet animumque igitur Deo Christoque tradit, ut vitam agat Christianam, is, quo cultior est, eo magis studet clare etiam perspicere, vitam hanc esse verissimam religionem; atque hoc ipso fidem suam vitamque Christianam perficit. Ergo fidei proles est disquisitio philosopha, sed matrem nutrit quoque proles.

Conf. § 15, 16, et *Encyclop.* § 10, item HOFSTEDE DE GROOT, *Over het ontstaan van het zaligmakend geloof*, in *Waarh. in Liefde*, 1848, II. Ne naturalis quidem religio per theologiam naturalem instillatur; conf. *Institut. Theol. nat.* § VI. Nota est optimorum jam Scholasticorum tessera: *Fide ad intellectum.* Illi autem fidem intelligebant assensum coecum, Ecclesiae placitis habitum; nos intelligimus animum

nostrum Deo Christoque sese confidentem et tradentem, propterea quod sentimus et experimur Euangelium esse Divinum et salutare. Hanc fidem qui non habet, neque igitur religionem Christianam animo ipse fovet, eam rite intelligere nequit, nedum philosophice ejus veritatem recte perspicere aliisque ostendere; *Christianum* te esse oportet, antequam *philosophus Christianus* fiere queas; conf. I Joh. 5: 13 et *Encyclop.* § 8—10. Imo ei, qui Christo fidem non habet, ne causa quidem est idonea, quare inquirendo videat vitam Christianam esse verissimam religionem. Liber, quem D. F. STRAUSS scripsit, *Die christliche Glaubenslehre*, dici potest systematum dogmaticorum crisin dialecticam continere, Dogmaticam certe Christianam non continet.

Nos igitur, cum fide ad intellectum procedere studeamus, nolumus ab initio ipsi criteria verissimae religionis statuere, ad quae Christianam religionem exigamus, ut pateat, *num* talis sit; sed statim, qualis haec ipsa sit, inquirimus, simul indagantes, an, quod sentimus et experti jam sumus, etiam *perspicere* possimus, eam *esse* verissimam et *cur* sit talis habenda. Prior illa ratio, quamquam a Supranaturalistis etiam usurpata, coll. § 18 annot. p. 15, vere est Rationalistica dicenda. Posteriorem, quam nos volumus, suo jam tempore pariter voluit AUGUSTINUS, eamque cum alibi saepissime commendavit, tum in *Epist. ad Consentium*, monens: „Ut ea, quae fidei firmitate jam tenes, „etiam rationis luce conspicias. Absit namque, ut „hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis ani„mantibus excelsiores creavit. Absit, inquam, ut „ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quae„ramus; cum etiam credere non possemus, nisi rati„onales animas haberemus. — Fides praecedat ratio„nem, qua cor mundetur, ut magnae Rationis capiat „et perferat lucem, hoc utique rationis est — Haec „dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae „cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides „animum praeparat." *Epist.* CXX, c. 1. edit. Antwerp. 1700 T. II, f. 263 seq. — Ita autem a fide ad intellectum procedentibus nobis non opus est, ut Dogmaticam antecedat Apologetica.

PARTIS PRIORIS

SIVE

DOGMATICES CHRISTIANAE

SECTIO I.

CHRISTOLOGIA.

A. Praeparatio.

§ 24.

Christus undenam sit cognoscendus.

Ex distributione, § 20 factâ, primum jam nobis inquirendum est, quis qualisque sit Jesus Christus. Itaque incipimus ab indicandis fontibus, unde haec disquisitio omnia hauriat.

Est autem Jesus Christus a nobis cognoscendus

1. ex ipsius de se effatis: accedunt eorum, inter quos immediate et maxime vixit, Apostolorum imprimis de eo testimonia;

2. ex ipsius vitâ cum in corpore terreno actâ, referentibus Euangeliis, tum spirituali, referente Ecclesiae historiâ atque ita nostrae etiam ipsorum experientiae testimonio.

Uti in cognoscendis summis quibusque viris, Socrate, Platone, Mose, Mohammede, ante omnia quaerimus, quid ipsi de se professi sint ex sui conscientia, deinde inquirentes, num huic ipsorum conscientiae respondeat eorum vita; ita imprimis in longe omnium summo Jesu Christo pernoscendo incipiendum est ab ipsius de se effatis; nemo enim illum, talem tantumque, ita novisse potest, uti se ipse. Conf. Luc. 10: 22. — Ex Ecclesiae autem historia Christum cognoscere difficilius quidem est, cum in ea reperiantur multa aliunde, quam e Christo, repetenda; sed

fieri tamen rite potest, si ab ipso ex Euangeliis cognito procedimus ad opus, quod per saeculorum decursum peragit, jamque in hac Ecclesia animorum directionem, mentis ideas, sociorum opera observamus longe et alia et potiora, quam in antiquitate repeiiuntur eaque Christi spiritui, ex Euangeliis cognito, consentanea. Sic ab auctore cognito ad ipsius opus contemplandum accedentes, ex hoc illum ulterius cognoscemus; uti notum artificem ex ipsius artificio plenius etiam perspicimus. Et vero hoc fieri debet, siquidem Jesum, humani generis Conservatorem, in totâ ipsius vitâ, generi humano consecratâ, cognoscere volumus. Ideo jam Lucas Euangelio suo historiam Ecclesiae per Jesum Christum conditae, stabilitae et propagatae addidit. Conf. L. SCHUKKING, *Waarop hebben wij te letten in de Geschiedenis der Kerk, om in dezelve de openbaring van het voortdurend leven van Christus te zien? En hoe moeten wij bij dit onderzoek de Geschiedenis der Kerk met de Geschiedenis van Jezus zigtbare verschijning op aarde verbinden?* in *Waarh. in Liefde*, 1843, III; item: *Moeten wij, om Christus in zijne heerlijkheid te zien, Hem ook in de Geschiedenis der Kerk gadeslaan? Zoo ja, hoe openbaart Hij zich dan in die Geschiedenis der Kerk als Gods Zoon?* ibid. 1844, IV; denique: *De Christus regering beschouwd als eene openbaring van Gods Voorzienigheid*, ibid. 1848, II.

Ad ea, quae hinc cognoscuntur, melius intelligenda illustrationem multiplicem affert historia humanitatis, referens cum de iis, quae Christi negotio similia quodammodo fuere, tum de iis, quibus dissimilia quibusque longe excellentiora Christus voluit, atque adeo de modo, quo genus humanum ad Christum fuit praeparatum.

Conf. *Encyclop.* § 46 *num.* 3 et in *annot.*

§ 25.

Christus quomodo inde variis temporibus sit cognitus.

Ante Jesum exspectationes Conservatoris jam ortae erant et dogmata vigebant de modo, quo Deus generis humani saluti spirituali prospiceret. Apud He-

braeos praecipue exspectabatur persona illustris, Dei spiritu animata, quae, ut propheta, homines cum Deo conjungeret, ut rex, eos Divino regno consociaret. Apud Graecos desiderium vigebat eximii sapientis ejusque reipublicae principis, qui homines ad perfectionem duceret. In orbe Graeco-Orientali Philo non peculiarem aliquam exspectabat personam, sed Deum proponebat, qui ratione suâ, τῷ λόγῳ, ipsi insitâ, sed et in mundo patefacta, tanquam mediatrice uteretur, ut homines cum ipso conjungeret et ad summam duceret cum ipso similitudinem.

Quodsi vero, uti in eruditiore disquisitione, praecipue Christianâ hacce, coll. § 21, decet, quaeramus imprimis, quomodo hactenus jam cognitus fuerit ille Christus, occurrunt nobis in historia Dogmatum praesertim haec.

1. Ipse Jesus initio plerumque se hominis Filium dixit, deinde sensim clarius etiam Dei Filium, semper autem *exhibuit se hominum Conservatorem.*

2. Deinde se nobis offert *commendatio Jesu ut omnium Conservatoris.* Apostolorum Euangelium totum est praeconium Jesu, ut Messiae Judaeis, ut Conservatoris Gentilibus. Praecipue eum talem praedicarunt se manifestantem in vita sua et apparitione his in terris, rarius adhuc in vita et actione coelesti. Johannes, cum ipsius tempore multi de τῷ Λόγῳ philosopharentur, Dei Filium Jesum Christum verum esse τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ docuit, sed personam Divinam, Patris Dei perfectam imaginem, eandemque humanam, inter homines viventem, ut homines omnes redderet Dei filios.

Apud Philonem, imo jam antea apud Zoroastrem et Platonem, *ideae* aderant τοῦ λογοῦ, τῆς ζωῆς, τοῦ φωτὸς, quae, ut in Deo erant, ita a Deo cum mundo communicabantur. Johannes primum omnia haec Divina docuit in Jesu Christi *persona* re factoque esse manifestata, ut per ipsum, Divinum hominem, cum hominibus revera possent communicari.

3. Porro occurrunt *disputationes de Jesu natura.* Quum enim Ebionitae, Judaei, Jesum Christum autumarent ψιλὸν ἄνθρωπον, Docetae, Graeco-Orientales, Christum

modo κατὰ δόκησιν hominem fuisse affirmabant; atque mox Gnostici audacius etiam nullas non de Jesu opiniones effundebant, mythologicas et theosophas. Subtilius vero Ecclesia Graeca, ingenio philosopha, de hujus Messiae et Conservatoris naturâ inquisivit et disputavit. Ita Justinus Martyr et Alexandrini Patres maxime sunt philosophati, minus usi historicâ et practicâ Johannis de τῷ Λόγῳ doctrinâ, quam Philonis Judaei philosophemate de τῷ λόγῳ ἐνδιαθέτῳ et προφορικῷ. Quo factum, ut, quamvis hunc personae instar proponerent, tamen plerumque *rationem* Divinam cogitarent. Origenes tamen clarissime enuntiavit, Dei Filium esse personam, eamque Patre inferiorem, creaturarum praecipuam, Deo proximam. Hinc disputationes Sabellianorum, a quibus Christus habebatur homo, quîcum in tempus natura Divina se conjunxerat, quique ideo Dei Filius dicebatur; quae sententia ab Ecclesia Catholica saeculo III saepius est rejecta. Item hinc disquisitiones Arii, qui uberius explicuit Alexandrinam sententiam, et contra quem in Concilio Nicaeno Filius dictus est Patri ὁμοούσιος, quamquam generatus. Itaque Origenis sententia partim, contra Sabellianos, ab Ecclesiâ stabilita, partim, contra Arianos, ab eâdem est damnata.

In Ecclesia Graeca deinde ne in his quidem substiterunt, sed ulterius disquisiverunt de conjunctione naturae in Jesu divinae et humanae, unde disputationes Nestorianae, Monophysiticae, Monotheleticae.

4. Postea *disquisitiones exstitere de Jesu opere.* In Ecclesiâ enim Latinâ, ingenio magis practicâ, Dei Λόγος potius ut *Sermo*, quam ut *Ratio* Dei cogitabatur, et attendebatur praecipue ad Jesu opus; nam Latini universe Ecclesiam Christi regere studebant. Augustinus etiam hanc Civitatem Dei, ut per Jesum ad malum vincendum a Deo conditam, descripsit. Post evanescentes primum, deinde paululum renascentes litteras, quum religio ritibus celebrandis constare videretur atque rituum horum sacrorum centrum facta esset mors Jesu, tanquam victima perpetua celebranda, de singulari parte operis Jesu,

in ejus morte conspicuâ, disquisiverunt cum Anselmus, satisfactionem docens, tum Abaelardus, ex amore Dei omnia explicare studens. — Caeterum, uti Christum Latini in historia etiam Ecclesiae se manifestantem attendebant, ita simul in hoc Ecclesiae informandae opere eum quasi coronâ stipatum proposuerunt Martyrum et Sanctorum.

5. Deinde inter Germanos institutae sunt *disquisitiones de Jesu Conservatore uno.* Reformatores in Conciliorum Graecorum decretis de Jesu naturâ et in Ecclesiae Latinae placitis de vi mortis ejus fere acquieverunt; sed in lucem protraxerunt hocce, Jesum esse Conservatorem, cujus gratiâ omnes servandi sint, et unum quidem, non Ecclesiae vi, aut Sanctorum coronâ adjutum. Unitarii vero sive Sociniani, Ebionitarum vel Nazaraeorum ad instar, hominem tantum Jesum, a Deo peculiaribus viribus donatum, proposuerunt; dum Reformatores in Dei Filio humanam naturam vix respiciebant. Unitariorum placita publice etiam a Magistratu repressa sunt, donec Rationalistae eorum sententiam libere ulterius explicabant. De reliquis dogmatibus parum consulto actum est, si excipis acerbas ineptasque saepe de communicatione idiomatum et statu duplici quaestiones. Sed inde a Luthero mystica etiam ratio invaluit, qua laudabatur Christus in hominibus. Quae apud Fratres Euangelicos et Swedenborgianos ita fere crevit, ut Christus paene cum Deo commisceretur.

6. Recentioribus temporibus magis magisque institui coeptae sunt *disquisitiones de Jesu homine Divino*, hominum omnium uno Conservatore apto. Scilicet, Philonis instar, philosophi recentiores, Kant, Fichte, Schelling, Hegel, Strauss *idealem* Christum commendare inceperunt prae ipsâ perfecte Divinâ eâdemque humanâ Jesu personâ. Itaque Theologiae recentioris erat, vindicare, ideam ipsam re factoque in historicâ Jesu Christi personâ adesse. Ergo, ut Jesus Conservator unus aptus magis cognosceretur, ipsum hominem spectavit Herder, inquisiverunt in ipsius consilium plane unicum Reinhardus, in unicam ipsius personam Schleiermacher, in ipsius

unius ἀναμαρτησίαν et personam Divinam eandemque humanam, hominum cum Deo intimae conjunctionis effectricem, Ullmannus. Quare et nunc historiam vitae Jesu conscribere inceperunt Theologi, Hess, Hase, Neander, alii.

Conf. ad omnem hanc § historiae dogmatum, conscriptae a Munschero, Baumgarten-Crusio, Hagenbach, aliis; item HASE, *Evang. Dogmatik*, § 162—185; inprimis J. A. DORNER, *Entwickelungs-Geschichte der Lehre von der Person Christi, Stuttgardt* 1839. Hic vero nondum de omni Jesu persona et charactere et ἀναμαρτησίᾳ quoque egit, sed unice historiam exhibet idearum de Jesu Christo θεανθρώπῳ. Quare hanc ita divisit, ut ostenderet, primum agnitum eum esse θεάνθρωπον, nec tamen inquisitum esse quomodo simul Deus et homo esset, usque ad a. 381; tum in Jesu hoc maxime esse spectatum, quod sit Deus, usque ad Reformationem; porro hoc imprimis, quod sit homo, usque ad a. 1800; denique incepisse Christianos, maxime Schellingio ad id incitante, Jesum contemplari et exponere, quo modo simul sit Deus et homo.

§ 26.

Christus quomodo inde nunc cognoscendus sit.

1. Christus nobis ante omnia cognoscendus est. Quod ut antea vidimus agendum esse, § 12, 13, ita nunc id historiâ confirmatur, cum omnes familiae Christianorum praecipue de Christo disquisiverint et suam de eo sententiam omni modo, etiam per vim, vindicare studuerint.

2. Ex universo, qui nobis patet, fonte est cognitio Christi haurienda. Non, ut Apostoli paene tantum facere potuerunt, ex vitâ Jesu et apparitione in terris unice sapiendum est, sed ex Ecclesiae quoque historia, quam immerito neglexerunt Protestantes. Vid. § 24.

3. Non ab una tantum parte est spectandus Christus, ut modo natura ejus, aut modo opus, aut modo ipsius consilium respiciatur. Sed ab omnibus est par-

tibus contemplandus, ut pateat, quid Jesus Christus illâ, qua est, naturâ illoque, quod egit, opere fecerit faciatque ad consilium suum exsequendum. Neque in ejus naturâ vel sola divinitas vel humanitas sola, neque in ejus opere vel sola vita sancta, vel mors sola cruenta respicienda est. Sed quid totâ suâ personâ sit agatque ad Dei consilium efficiendum, disquiratur oportet. Et vero uti hoc oportet, ita in Ecclesiae nostro tempore libertate et doctrinae Theologicae praesenti lumine fieri potest.

4. Videtur autem ordine eo procedendum, ut a facilioribus et in historiâ ipsâ conspicuis ad sublimiora et mente modo intelligenda escendatur, et ut de ipsius personâ prius, posterius de consilio negotioque ejus agatur, denique de hujus utriusque inter se et cum aliis rebus conjunctione disquiratur.

Si, quod multi faciunt, incipiamus disquisitionem de Jesu personâ ab eo, quid de τῷ Λόγῳ, sive de naturâ ejus antequam his in terris apparuit, statuendum videatur; agamus *et* contra exemplum ipsius Jesu, coll. § 25, 1; *et* contra naturam rectae disquisitionis, nam de τῷ Λόγῳ nihil certo notum esse aut rite etiam intelligi potest, nisi e patefactione Dei Filii his in terris humanâ; *et* contra naturam disquisitionis ad *religionem* pertinentis, namque ad hanc unice Dei Filius, uti sese manifestavit et manifestando religionem effecit, pertinet, coll. § 22, atque adeo quae in ejus vitâ antecesserunt, eatenus tantum huc faciunt, quatenus ipsam illam manifestationem declarant et explicant. Quid? quod multorum Patrum atque Theologorum exemplum docet, si a disquisitione de τῷ Λόγῳ initium fiat, hunc facile proponi, non ut eandem, quam in Jesu Christo suspicimus, *personam*, sed ut *rationem* Deo propriam, quae uti cum hominibus omnibus, ita omnium perfectissime cum Jesu Christo sit communicata; quod sive nude dicatur, sive sub personae Divinae *specie* proponatur, nobis videtur de personae Christi verâ et unicâ excellentiâ multum detrahere. Neque objiciatur exemplum

Apostoli. Quod enim in Euangelii sui prologo et in Epistolae primae initio fecit Johannes, id non est aut Euangelium praedicare *incipientis*, conf. 1 Ep. 5: 13, aut de Jesu persona *disquirentis*, sed scriptoris, suum de ejus, de quo scripturus est, praestantiâ sensum statim effundentis. Atque in hac ipsa animi effusione Apostolus diserte significat, non in τοῦ Λόγου ideâ per se spectatâ, sed in τοῦ Λόγου *manifestatione* humanâ praecipuam Euangelii vim esse positam, vid. Euang. 1: 14, 16—18; conf. 1 Epist. 1: 1, 2.

B. Jesu Christi persona.

§ 27.

Christus vere homo.

Jesus Christus, homines liberaturus et beaturus, homo natus est, vixit mortuusque est humanâ ratione; necessitatibus aeque atque affectionibus humanis fuit; hominum reliquorum instar sensim, ope rerum ipsum circumdantium per vim vitamque ipsi insitam, progressus est ut corporis staturâ sic mentis animique cultu; et tentationibus quoque, ad peccandum sollicitantibus, fuit objectus. Conf. Luc. 2: 40, 49, 51, 52. Matth. 4: 1—11, c. 26: 36 seqq. Hebr. 4: 15, c. 5: 7, 8.

Neque negligendum, hominem ipsum fuisse pauperem, nullâ nisi spirituali majestate insignem; conf. 2 Cor. 8: 9. Joh. 6: 41—46; itemque ex omnibus Dei legatis, e coelo missis, ipsum unum factum esse hominem, conf. Joh. 1: 14, Rom. 8: 3. Gal. 4: 4, 5. 2 Petr. 1: 4. Ipse igitur Jesus, humanitatis suae cum negotio inter homines agendo conjunctionem indivulsam perspiciens, omne hoc sibi datum a Patre suo dicebat, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστι*, Joh. 5: 27, eandemque ob causam eum Apostoli dicebant *ἄνθρωπον Ἰησοῦν Χριστὸν*, 1 Timoth. 2: 5.

§ 28.

Cum reliquis hominibus conjunctus.

Erat Jesus Christus e matre humana natus, et e gente quidem Judaicâ atque stirpe Davidicâ; sed ita, ut neque

stirpis modo regiae neque gentis tantum suae aut indolem referret aut causam ageret, imo ut indolem haberet humanissimam, causamque generis humani totius existimaret suam.

Itaque ad Judaeos de proavis loquens, non dicere solebat: „patres nostri," sed „vestri," v. c. Joh. 6: 58, c. 7: 22. Non versabatur cum Judaeis modo, aut cum doctis et principibus, aut cum viris tantum, sed et cum mulieribus, plebe, incultis, alienigenis. Erat ergo, ut se dicebat, *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, et spiritum manifestavit, quem suscipere in Ecclesia gentium omnium, omniumque stirpium et generum homines potuere, Col. 3: 11.

Cf. C. ULLMANN, *Die Sündlosigkeit Jesu*, edit. 5ae p. 40 seq. Quo sensu se dixerit *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, vide imprimis Marc. 2: 27, 28; conf. Matth. 11: 19.

§ 29.

Idem a reliquis hominibus distinctus.

Qui homo erat, humanitate cum reliquis hominibus omnibus junctus, idem ab his omnibus eo distinctus erat, quod perfectus erat homo, merito *κατ' ἐξόχην* dictus *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, ingenio quippe praeditus excellentissimo, eoque per peccatum non turbato neque impedito, *ἀναμάρτητος*.

Conf. C. W. VAN DER POT, *Iets over den zin en de kracht der benaming:* „de Zoon des menschen," in *Waarheid in Liefde*, 1846, I.

Scilicet Divinitus generatus, e matre tantum humanâ natus, quasi novus surculus erat, stirpi humanae insertus.

Generatio haec extraordinaria, etiamsi non narrata esset ab Euangelistis, probabiliter effici posset ex ipsâ extraordinariâ Jesu personâ. Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Onderzoek, of de overtuiging van Jezus buitengewone geboorte geschiedkundig zeker en van wezenlijk belang zij voor de regte kennis des Christendoms*, in *Waarheid in Liefde*, 1839, I, p. 6 sq. coll. p. 190 sqq. et J. J.

VAN OOSTERZEE, *De Jesu e Maria virgine nato*, *Traj. ad Rhen.* 1840. — Quia Jesus novus quasi surculus erat, merito dicitur a Paulo *alter Adam*, 1 Corinth. 15: 45.

Ipse ἀναμάρτητον se sensit Jesus, Joh. 8: 46. Talem etiam eum agnoverunt aequales, ipse adeo proditor Judas, Matth. 27: 4, 1 Joh. 2: 1, coll. c. 1: 8, 1 Petr. 2: 22 Talemque eum fuisse, ostendit Ecclesia, quae, quod nulla unquam societas alia sibi finxit, eum ut perfectam hominis speciem semper venerata est, et per ipsius contemplationem ad majorem a vitiis puritatem procedit et infinite progredientem perfectionem.

Conf. omnino aureus libellus, jam laudatus, ULLMANNI, *Die Sündlosigkeit Jesu.*

§ 30.

Sanctus constanter et perfectionem sensim majorem patefaciens.

Qui puer et juvenis sine vitio jam fuit et mentis animique cultu progressus est, idem gravissimas, quibus deinceps objectus fuit, molestias et tentationes vicit, atque difficillimo negotio occupatus vires suas excellentissime adhibuit et explicuit. In vitae fine tentationes molestiasque, quas ipse graviores sentiebat esse, quam antecedentes ullas, ita devicit, ut in mediis perpessionibus omnem insitam Divini ingenii excellentiam tantâ, quantâ antea nunquam, claritate patefaceret.

Conf. S. J. F. RAU, *Oratio de Jesu Christi ingenio*, *Lugd. Bat.* 1798.

Sensit se Jesus ipse sanctum, uti liquet e dicto Joh. 8: 46, et in totâ vitâ perfectum, Joh. 17: 4. Quomodo tentationum vim et senserit et superaverit, patet Matth. 4: 1—11, c. 16: 23, Joh. 12: 27, Matth. 26: 36—46. Eum in vitae etiam fine perfectione esse progressum, expressit Auctor ad Hebr. 5: 7—9.

Illa Jesu Christi perfectio cernitur maxime in fide, Deo divinaeque naturae, homini etiam propriae, habitâ, et in amore erga Deum hominesque. Quum autem hicce

praestantissimus animus egoismo non turbaretur neque impediretur, sed et purissimus esset et liberrimus, mens quoque ejus perspicacissima nullis peccati nebulis obscurabatur, voluntas nullis rebus labefactata neque vacillans insigni cum constantiâ semper agebat. Tanta est in eo facultatum omnium harmonia semper, ut simplex sit indoles tota, actio perpetuo facilis.

Quod de fide diximus, ita sese habere, liquet ex amore, quem sine fide non fovere potuisset Jesus; item e multis ab ipso dictis, maxime e parabolis; fidei hujus perfectionem diserte expressam videas Hebr. 12: 2. De amore cum alia confer, tum Joh. 15: 12 seq.

§ 31.

Vitam perfectam perpetuo agens.

Ejusmodi vitam non modo egit Jesus Christus cum in terra adspectabilis esset, sed eandem vitam etiamnum agit et patefacit.

Postquam in terra non amplius adspectabilis esset, eandem vitam ostendit primum quidem mirabili etiam modo, in stabiliendâ Ecclesiâ, vocando Paulo, ducendo Petro, aliisque similibus, Act. capp. 2, 9, 10; deinde magis unice consuetâ ratione, in conservandâ, propagandâ, identidem purgandâ, atque perficiendâ Ecclesiâ. Id etiam facturum se, ipse praevidit suisque promisit Matth. 28: 20, conf. Joh. capp. 14—17. Atque, ut rei natura docet, sine hac ipsius operâ negotium, in terrâ ab ipso inceptum, brevi irritum fuisset factum.

Conf. U. P. GOUDSCHAAL, *In welk een zin Jezus wordt gezegd te komen*, in *Waarh. in Liefde*, 1839, III.

Potuisse Jesum Christum ita, etiam postquam e terris discesserit, perpetuam agere atque ostendere vitam perfectam, minus est mirandum, cum idem ille, etiam antequam in hanc terram veniret, vitam ejusmodi egerit.

Hoc, ut res ipsa fert, unice ex ipsius Jesu conscientiâ, testimoniis declaratâ, nobis innotescere potest. Innotescit autem inde, ipsum jam vixisse ante mundum conditum et conditione Patri Deo conjunctissimâ eâque

gloriosissimâ esse fruitum. Vid. Joh. 3: 13, c. 6: 33—58, 62, c. 8: 58, c. 16: 28, c. 17: 5, 24. Cum autem inde hoc constet, nobis hinc multa, quae caeteroquin in Jesu personâ explicari nequeant, fiunt magis perspicua: imo, uti generatio Jesu extraordinaria, coll. § 29, ita et vita haec anterior probabiliter effici queat vel e solâ Jesu personâ prorsus extraordinariâ. Quare et Apostoli Johannes et Paulus plane unicam personae Jesu Christi praestantiam, in terra et deinceps coelitus manifestatam, inde explicuerunt, quod ille jamdiu ante exstiterat, Joh. 1: 1—5, 18, 1 Joh. 1: 1, 2. Col. 1: 12—22, conf. Hebr. 1: 1—3.

Quod de Jesu Christi praeexsistentiâ, uti dicitur, hîc exhibuimus, id asserimus, quia exegetice nobis constat, id e suâ ipsum conscientiâ professum esse Jesum, et quia id universae, qualem se manifestavit atque etiamnum in Ecclesiâ regundâ manifestat, ipsius personae congruit, ita ut haecce inde demum penitus intelligi et declarari possit. Neque tamen Christologiae aut etiam praedicationis Christi vis pendet ab hac praeexsistentiâ agnoscendâ, sed a Divinâ excellentiâ atque vi, in Jesu Christo patefactâ, persentiendâ atque pernoscendâ. Quare tria priora Euangelia esse potuerunt germanae et eximiae Jesu Christi praedicationes, licet nulla in iis sit de ejus praeexsistentiâ mentio. Caeterum universe conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Het verband tusschen Jezus vroeger hemelsch en later aardsch leven, volgens den Apostel Johannes*, in *Waarh. in Liefde*, 1841, I.

§ 32.

Dei Filius.

Haec perfectio et sanctitas et vita omnis, quam perpetuo agit Jesus Christus (§ 28—31), tanta est tamque excellens, ut prae hominibus, qui et Dei filii, τέκνα, υἱοὶ τοῦ Θεοῦ appellandi sunt, ille unico plane modo sit Dei Filius, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ μονογενὴς, ὁ μονογενὴς παρὰ Πατρὸς, ὁ ἴδιος υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

Haec dictio, eum *Filium Dei* esse, significat, eum *et* vitam eamque spiritualem habere auctore Deo, *et* ita

eum esse Deo indole simillimum, *et* propterea a Deo amari, *et* Divinorum bonorum omnium participem esse perpetuo, Joh. 5: 17—30, c. 10: 34—36, c. 8: 29, item Joh. 1: 14, 18, 1 Joh. 3: 8, 9, Rom. 8: 17, 29.

Jesus autem a Deo auctore habebat non modo vitam e matre Maria terrenam, sed etiam vitam, quam jamdiu ante gesserat, et habet pariter a Deo acceptam vitam, quam perpetuo agit, coelestem. Quod uti apparet ex ipso nomine *Patris* et *Filii*, ita pariter liquet e dictis Jesu disertis Joh. 5: 19—25, c. 10: 34—36, c. 14: 28, c. 17: 2, 3, 5. Ut autem vitam suam omnem habet a Deo acceptam, ita habet vitam hanc prorsus Divinam, Deo simillimam. Ipse hoc enuntiavit maxime Joh. 14: 7—11. Ideo, hoc ipsius Jesu dictum respiciens, Thomas eum appellavit θεὸν Joh. 20: 28, quod et Johannes fecit Joh. 1: 1, et forte Paulus Rom. 9: 5. Jesus ipse significavit, fieri id posse, quamquam ipse se dicere υἱὸν τοῦ Θεοῦ, vel τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ malebat, Joh. 10: 34—36.

Ad conjunctionem Filii cum Patre ex ipsius illius mente rite interpretandam, multum facit, si observes, solere eum eodem modo iisdemque verbis enuntiare conjunctionem illam, quae ipsi cum Patre intercedit, atque eam, quae amicis suis secum, Joh. 5: 26 coll. c. 6: 57; c. 14: 7—11 coll. 20; item c. 17: 21, 25. Ad eandem *Dei Filii* notionem rite intelligendam multum etiam conducit, si teneas, non esse metaphysicam dictionem, de scholâ aliquâ philosophâ desumtam aut a philosophis adhibitam, sed appellationem popularem, e V. F[is] scriptis depromptam. — Caeterum pluribus de hac Filii cum Patre conjunctione agemus in Theologia.

Cum idem ille, qui homo erat, Jesus, dicatur etiam atque sit Dei Filius, ideo multi in eo duas ponunt naturas spirituales, alteram Divinam, cui vis miracula patrandi et scientia plane singularis sit tribuenda, alteram humanam, qua Deum precatus sit Deoque gratias egerit; atque sic parum absunt ab eo, ut duas in eo videant personas. Est hoc historiae contrarium, in qua Jesus ubique ut una occurrit persona, quae, uti e coelo de-

lapsa est, ita coelestem suam Divinamque indolem ut homo habuit atque ostendit, conf. Joh. 3: 13. Quare et ipse hominem se miracula fecisse Divinaque omnia agere dicit, vid Joh, 5: 27 coll. s. 20, et se Dei Filium precantem Deoque gratias agentem ostendit, vid. Luc. 10: 21, 22, Joh. 17: 1—5. Quae in eo cernitur pugna Matth. 26: 38 seqq., non est inter duas naturas spirituales, Divinam et humanam, pugna, sed inter τὸ πνεῦμα et τὴν σάρκα coll. s. 41. et Hebr. 5: 7. — Ita, uti historia Jesum Christum nobis exhibet, eum nobis proponere sanae rationi convenienter possumus; nam cum Deus sit πνεῦμα et homo πνεῦμα habeat, idem Divinitatis simulque humanitatis, utpote naturae unius πνευματικῆς, particeps esse poterat, conf. § 33 *initio*. Sed in unâ personâ, eâque simplicitatem atque secum ipsâ harmoniam summam ostendente, duas ponere naturas spirituales, quae sui consciae atque adeo duae personae diversae esse debeant, hoc rationi sanae adversatur atque absurdum censendum est. — Imo, si contra historiae testimonium, Jesu Christo Divina tribuatur natura, a naturâ spirituali humanâ separata, ut alîus generis Divina, alîus humana in eo fuerit vita, remanet Divinae atque humanae naturae vitaeque separatio, ad quam ipsam tollendam Dei Filius inter homines apparuit; estque igitur hujusmodi placitum in Dogmaticâ minime ferendum, quippe philosophâ disquisitione de ipsâ intimâ hominis cum Deo conjunctione per Jesum Christum, Divinum plane eundemque humanissimum, efficienda. Scilicet missi inter homines Dei Filii, hominis Divinâ vitâ perfecti consilium in eo ipso est positum, ut et ingenio homines ejusdem, atque Deum, generis esse, appareat, et ad summam homines cum Deo sapientiae, sanctitatis, potentiae, omnisque adeo vitae atque excellentiae similitudinem Divinitus adducantur. Conf. Act. 17: 28, Hebr. 2: 6—9. Quod consilium intelligi perspicique a nobis nequit, nisi teneatur spiritualis Jesu naturae unitas.

Recte igitur primorum saeculorum Patres a dicto Johanneo ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο procedentes, Jesum Christum sibi proposuerunt personam, in qua ὁ λόγος lo-

cum teneret spiritûs hominibus proprii, cuique praeterea *σὰρξ* esset idem quod hominibus omnibus est corpus. Conf. Justinus, *Apol.* I, c. 32: Ἡ πρώτη δύναμις μετὰ τὸν πατέρα πάντων καὶ δεσπότην Θεὸν καὶ υἱὸς ὁ λόγος ἐστίν, ὃς σαρκοποιηθεὶς ἄνθρωπος γέγονεν. Arnobius, *Adv. Gentes*, I, p. 37: An aliter potuit invisibilis illa vis et habens nullam substantiam corporalem, inferre et commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiae solidioris assumeret? — Assumsit igitur hominis formam et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit." Ab hac sententia postea discessit Ecclesia anno 381, quum Apollinarem, id ipsum statuentem, damnaret. Cf. k. r. hagenbach, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, § 99. Non duas naturas spirituales, sed unam in Jesu Christo naturam, plane Divinam vereque humanam, agnoscendam esse, nostrâ aetate vidit etiam a. schweizer, *Die Glaubenslehre der Evangelisch-Reformirten Kirche*, II B, *Zürich* 1847, § 87, imprimis p. 325.

§ 33.

Conjunctio horum omnium, quae hucusque de Jesu Christo exposita sunt.

Ut, qualis sit tota eaque una Jesu Christi persona, intelligamus, haec omnia, quae singulatim exposita sunt § 27—32, conjunctim etiam sunt comprehendenda.

Natura, quae Jesu Christo propria est, humana tam parum cum Divinâ ipsius excellentiâ pugnat, ut dicendus sit Divinitatem suam humanissime patefecisse et homo esse plane Divinus. Unusquisque enim homo ingenio divinus est, et natura humana usque adeo ad perfectionem, nullis limitibus circumscriptam, excoli potest, ut indole quoque, si minus solâ hac in terrâ certe in vitâ suâ aeternâ, Deo fiat simillima. Itaque et divina omnia capere potest natura humana, et qui perfectissimus est homo, eo ipso jam indole totâ est maxime Divinus. Tam parum id quod divinum est cum eo quod vere est humanum pugnat, ut una sit utriusque natura πνευματική, utrumque unius ejusdemque generis; sunt enim naturâ homines

Deo cognati, ejusdem, atque Deus, generis a Deo creati, *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*. Senserunt hoc omni tempore optimi quique homines, qui cum Deos sibi interdum proposuerunt humanâ formâ apparentes, tum hominis consilium appellarunt *τὴν ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ*. Christiani idem hoc maxime variis senserunt aevis. Vid. Act. 17: 28, Jac. 3: 9, 2 Petr. 1: 4, conf. Hebr. 2: 6—9.

Conf. S. K. THODEN VAN VELZEN, *Comment. de hominis cum Deo similitudine*, II Partes, Gron. 1835, 1837. — Recentissimis temporibus summum, ad quod ducendus est homo, modo dictum est *humanitas*, ut inde ab HERDERO maxime invaluit, modo *divinitas*, ut enuntiavit GRASER in libro: *Divinität, oder das Princip der einzig waren Menschenerziehung*, edit. 3[a], *Bayreuth*, 1830. Neutra dictio improbanda; illa enim quasi fundamentum, haec quasi culmen constituit ejusdem aedificii. Attamen cavendum, ne de Divinâ et humanâ duplici loquamur naturâ, uti Jesu, sic hominum; quum melius sit, de utrorumque agere naturâ spirituali simplici. — Nobis erit hac de re pluribus agendum in Anthropologia.

Neque spiritualis Jesu Christi natura, Divina illa eademque humanissima, pugnat cum corporeâ, quam his in terris gessit, naturâ prorsus humanâ. Hac ille, licet reliquis hominibus longe excellentior, coll. § 29, 30, tamen eodem spiritualis naturae genere insignis, *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ*, aeque atque reliqui homines, qui et ipsi Divini sunt generis, necessitatibus atque affectionibus, cum corporeâ et terrenâ naturâ conjunctissimis, conspicuus fuit, atque tentationibus etiam ad peccandum sollicitantibus, exinde orientibus, objectus, debuitque igitur, licet Dei Filius esset, in hisce difficultatibus terrenis ad summam se erigere constantiam atque perfectionem. Conf. omnino Hebr. 2: 11—18, c 4: 14, 15, c. 5: 8. et § 27.

De affectionum terrenarum et tentationum conjunctione cum corporeâ hominis naturâ conf. L. G. PAREAU, *Inst. Christ. mor.* § XIII, 2, 3, 5.

Vita ante acta cum vitâ, quam Jesus Christus his in

terris degit, sic est conjuncta, ut illa sit fons ejus excellentiae, nominatim ejus sanctitatis perfectae, quae in hac apparuit. — Ita ipse rem proposuit Joh. 10: 36; conf. c. 3: 11—13, c. 5: 19. Et sane cum sanctitas vera non nisi exercitio virium proprio adesse queat, intelligi sic optime potest, quomodo hic non tantum insons, sed, inter peccatores degens, a pueritia inde sanctus esse potuerit, si reputemus, eum jam antea vixisse cum sancto Patre conjunctissimum et inter sanctos se explicuisse. Quo ipso minime vel tollitur vel obscuratur Jesu vita his in terris vere humana, eaque nobis hominibus, vita ejusmodi antecedente non gavisis, in exemplum proposita. Esse ille debebat et est exemplum, quod omnes, etiam excellentissimi homines intueantur et sequantur, attingat nemo, nedum superare possit. Et similiter, qui per hunc sanctum Jesum cum sanctissimo Patre conjuncti in Ecclesia, sancto ejus spiritu animata, se explicant et magis magisque sancti evadunt Christiani, homines manent, vere humanam vitam viventes, imo eo ipso reliquis hominibus, si v. c. Euangelii annunciandi causâ ad barbaras gentes procedant, aptiora et meliora fiunt exempla.

Conf. J. WITKOP, *Jezus in zijne Goddelijkheid, of onderzoek naar den aard en de werking van Jezus bewustheid zijner hoogere natuur*, Gron. 1845.

Vicissim cum vitâ antecedenti sic juncta est vita Jesu his in terris acta, ut fuerit haec illius continuatio et ad majorem excellentiam explicatio. — Ita res proponitur Joh. 17: 19, Hebr. 2: 10, 11, 18, c. 5: 7—9, conf. Phil. 2: 6—9. Et profecto puer quidem Jesus paulatim sese exserere et explicare debuit, ut novo, in quo nunc vivebat, orbi assuefieret et in hocce ad sui conscientiam se erigeret, Luc. 2: 40; sed et adulto Jesu, Dei Filio, hac in terrâ scena fuit tentationum, perpessionum difficillimorumque exercitiorum, ad vitam spiritualem ulterius etiam quam antea explicandam plane unicâ ratione aptorum. Vid maxime Matth. 4: 1—11, c. 16: 23, Luc. 12: 50, Joh. 12: 27, Matth. 26: 36—46. Conf. § 27.

Conf. J. WITKOP, *Strijdt eene ontwikkeling des geestes, zoo als die op aarde bij Jezus plaats had, niet met de volmaaktheid van zijn voorbestaan in den hemel? Zoo neen, hoe hebben wij ons het verband van de eene met de andere voor te stellen?* in *Waarh. in Liefde*, 1844, IV.

Quo facilius intelligamus, tentationes perpessionesque illas Jesu Dei Filio, qui antea jam in coelis vixerat, molestiam difficultatemque creare atque ideo vere tentationes esse potuisse, coll. Hebr. 2: 18, c. 5: 9, observari meretur, has et fuisse tentationes conditioni ejus *terrenae*, *σαρκικῇ*, a perpessionibus aversanti, objectas, coll. Hebr. 5: 7, et vero ei difficiles propter ipsum insignem ejus *amorem;* nam, si amantissimus ille vel paululum sese ad aequalium opiniones ita accommodasset, ut regno suo aliquid terreni admiscere voluisset, statim, quod amori gratissimum esse solet, omnes ad se traxisset cavissetque, ne odio ipsum prosequerentur et cruci affigerent, quo nihil accidere amori acerbius potest; conf. Matth. 4: 1—11.

Ita simul intelligitur vitae terrenae cum vita subsequenti coelesti conjunctio. In terris enim explicuit ipse sese exercendo ita, ut prorsus paratus aptusque esset, qui generis totius humani exsisteret Conservator. — Sic ipse rem proposuit Matth. 20: 27 seq. Joh. 17: 19, coll. Matth. 28: 18—20. Sectatorum ejus nemo id penitius sensit, quam Auctor ad Hebr. 2: 10, 17 seq. c. 4: 15, c. 5: 9, c. 6: 20; sed vide etiam Paulum Phil. 2: 9—11, conf. Col. 1: 15—22. Et vero sic per omnem militaris vitae difficultatem exercitatus, optime quis fit militum dux aptus perfectusque, conf. Hebr. 12: 2. — Praeterea autem patefaciendâ his in terris omni suâ praestantiâ inprimisque demonstrando amore suo summo sibi devinxit Jesus fide atque amore homines ipsos, ut sic unice horum Salvator esse posset. Vid. Joh. 10: 3—5, 11—18, c. 15: 12 sq. conf. Hebr. et Philipp. ll. ll.

Denique vicissim vita subsequens coelestis est vitae cum totius antea actae tum imprimis in terris peractae et continuatio et in infinitum procedens explicatio. — Et

vero, quod his in terris incepit opus, semper pergit agere explicatius et latius, donec plene perfectum erit. Sic ipse de hac re locutus est Joh. 8: 28, c. 12: 32, c. 17: 1 seqq. 20 seq. Quod ut dixerunt etiam Apostoli, Rom. 11: 25 seq., 1 Cor. 15: 24—28, Eph. 1: 20—23, ita docet historia Ecclesiae, quae ostendit, Christum negotium suum, in terris inceptum, et extensive semper magis peregisse et intensive perfecisse.

C. Jesu Christi opus.

§ 34.

A Deo legatus Jesus Christus venit in generis humani salutem summam.

Jesus ille, cujus *personam* contemplati sumus, has in terras venit, ut *opus* perageret maximum. Nempe a Deo institutus informatusque est cum in vita antecedenti, Joh. 3: 11—13, 6: 45, 46, 8: 26, c. 10: 36, c. 15: 15, tum his in terris in pueritia atque juventute sua, Luc. 2: 52, c. 3: 21, 22, c. 9: 31, 35.

Quod ad prius illud attinet, aliter se res habere non potuit in naturâ *non absolute* perfectâ, qualem se agnovit Dei Filius Marc. 10: 18, c. 13: 32, in quo posteriori loco Jesus de se Dei Filio, angelis ipsis superiore, loquitur. Ejusmodi natura necessario progredi perfectione debet, auctore Deo, absolute perfecto. Neque aliter fieri potuit in eâdem naturâ, etsi excellentissimâ, tamen a Deo pendente, qualem se *Filius* semper agnovit. Haec a Patre institui informarique debuit. Conf. Joh. 5: 19, 20 et L. G. PAREAU, *Inst. Christ. mor.* § XV, 1. Johannes, licet in Prologo Euangelii sui τὸν Λόγον proponat rerum omnium effectorem, vitam Divinam in se habentem, tamen Deum ipsum exhibuit auctorem, qui egit *per Illum* (δι' αὐτοῦ), utpote intimâ cum Deo consuetudine usum (πρὸς τὸν Θεὸν et εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς) eâque ipsâ ad cognoscendum penitus Deum Deique voluntatem efficiendam idoneum, vid. Joh. 1: 2, 3, 18. Idemque Apostolus ipse refert Dei Filium de semet dicentem, Divinam vitam se *per Pa-*

trem habere aeque atque suos per ipsum, vid. Joh. 5: 26, c. 6: 57.

De posteriori hoc, quod de pueritiâ Jesu diximus, conf. HESS, *Lehre*, *Thaten und Schicksale unsers Herrn*, N. VIII: *Ueber verschiedenes, was zur Bildung des Charakters Jesu beigetragen.*

Atque ita a Deo missus est, qui mundum suâ imbueret vitâ Divinâ. Quod uti docet ejus baptizati historia, et ipse semper professus est, Joh. capp. 5, 6, 8 et c. 10: 36, ita et ostendit tam factis miraculi plenis, quam vitâ sanctâ Divinâque omni.

Olim miracula habebantur res omnium maxime graves, quippe praecipuae ad auctoritatem Jesu Divinam demonstrandam. Post Semlerum, qui ea imprimis ad ipsam, quâ facta sunt, aetatem pertinere docebat, minus magnifice de earum vi sentiri coeptum est. Quaeritur adeo, quid sint miracula. In N. F[is] libris dicuntur τέρατα, v. c. Act. 2: 22, quatenus sunt *portenta* admirationem excitantia, δυνάμεις, quatenus *viribus* extraordinariis facta esse apparent, σημεῖα, quatenus *signa* sunt Dei per legatos suos agentis. Negantur etiam miracula unquam fieri potuisse; quod tamen e perversa modo, apud philosophos inveniunda, cum ipsorum miraculorum, tum agentis hominumque curam habentis Dei patrisque coelestis, notione repetendum est; conf. *Inst. Theol. nat.* § XXI, 12. Sed observandum omnino est, miraculorum eam esse naturam, ut in ipsorum spectatores multo majorem vim haberent, quam post saeculorum intervallum habere possunt; item Jesum ejusque Apostolos potissimum haec facta retulisse ad omnia, quibus *suam excellentiam manifestaret* Dei Filius, quare ab illo fere simpliciter inter sua ἔργα referuntur, et a Johanne dicuntur φανερώσεις τῆς δόξας αὐτοῦ, Joh. 2: 11; porro Jesum miraculis per se spectatis habitam fidem parvi fecisse, et maluisse, ut propter universam Divinae indolis manifestationem homines sese ipsi confiderent, Joh. 6: 31—40; denique in causa religionis Christianae gravissimum hoc esse, non ut *auctoritati* nos, paene coactos, submittamus, sed ut universae Jesu Christi personae, *indole totâ* Divinae, nos sponte lubenterque tradamus.

Ipse autem a Deo institutus est et a Deo venit, ut humanum genus institueret et ad Deum duceret. — Quod uti ipse professus est Joh. 17, ita docet historia ipsius cum in his terris viventis tum et coelitus agere pergentis tota.

Est autem hoc Jesu Christi opus et extensione et intensione et perpetuitate excellentissimum atque plane unicum. Namque, quod ne mentis quidem cogitatione unquam sibi quisquam finxerat, ille omnis sexûs, conditionis, gentis, temporis, homines omnes vult errore, peccato miseriâque omni liberare et ad sapientiam, sanctitatem beatitatemque non modo aliquam, sed perfectissimam planeque Divinam adducere, atque unâ secum societate, amore sincero animatâ, totum inter se et cum Deo jungere hominum genus, Joh. 17: 20 seqq., conf. 1 Cor. 2: 7 seqq., Eph. 3: 5 seq.

§ 35.

Quomodo egerit agatque in genus humanum.

Hoc tantum tamque infinitum opus ut exsequatur, Jesus egit in humanum genus et agere pergit. Eam in rem autem medio usus est et constanter utitur uno hocce, quod *Ecclesiam* praeparavit, condidit perpetuoque perficit. Itaque primum Apostolos praecipue informavit et in sodalitium conjunxit et deinde ex hoc quasi semine succrescentem confirmavit, servavit, emendavit et adhuc perficit Ecclesiam.

Hoc Apostolos informandi et conjungendi negotium ei in terris versanti praecipuum fuisse, et ex hoc sodalitio succrescere debuisse sanctam, quam volebat, societatem universam, ipse significavit Jesus, Joh. 17: 4 coll. 6—8, et 20, 21. Conf. L. G. PAREAU, *Wenken omtrent Jezus wijsheid in de opvoeding zijner Apostelen in het algemeen*, in *Waarh. in Liefde*, 1840, I; J. TICHLER, *Over de wijsheid van Jezus, daarin betoond, dat Hij zijne Apostelen naar elks bijzonderen aanleg, vatbaarheid en karakter op verschillende wijze behandelde*, ibid. 1843, I; U. P. GOUDSCHAAL, *Jezus wijsheid en liefde in de leiding van Judas Iscarioth*, ibid. 1846, I.

Ecclesiam autem condere *et* consilium est *et* medium: consilium, quatenus nulla est vera beatitudo nisi in societate sanctâ; medium, quatenus ad hanc beatitudinem adduci nemo potest, nisi per hanc ipsam societatem informetur et cum ea se jungat. Conf. L. G. PAREAU, *De leer van Paulus omtrent den aard van Jezus Kerk*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, IV, et *Init. Inst. Chr. Mor.*, § III, XXII; HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* § XXXVI.

Varia autem sunt, quibus hanc Ecclesiam praeparavit, condidit perpetuoque perficit.

1. Ipsius e coelis in terras adventus ad homines servandos hanc vim exercuit et exercet etiam nunc, ut animos moveret moveatque hac insigni amoris significatione. Conf. 2 Corinth. 8: 9, conf. Phil. 2: 6—8.

2. Vita ipsius tota vim habuit et habere pergit maximam, utpote sancta et amore plena, quae se patefecit actionibus beneficis, etiam mirificis, doctrinâ excellentissimâ, atque institutione, qua homines, imprimis Apostolos suos, ad sui similitudinem informare voluit, atque ita omnes secum et inter ipsos toto animo conjungere. Conf. Joh. 15: 12, 17, 19, coll. c. 17: 16, 21.

3. Tam excellenti vitâ insignem cum mundus perversus ferre eum non posset, morti tradere eum voluit. Jesus vero ne morti quidem se substraxit, sed, Divino regimini, vel sic quoque mundi salutem efficere volenti, obsequens, morti etiam huic se tradidit, ut ad peccati conscientiam humanum genus duceret, et gratuiti erga homines, licet ad peccati culmen progressos, amoris, etiam summo vitae suae tradendae documento patefacti, magnitudine moveret ad desistendum a peccato ipsique sese tradendum. Conf. Luc. 23: 47—56, Joh. 8: 28, coll. c. 16: 8—11, item c. 15: 13 et Act. 2: 23, 36—38.

4. Post mortem si vivum se non denuo patefecisset, mundus hominum, adspectabilibus rebus unice commotorum, ipsi fidem plenam habere non potuisset. Ostendit vero se e morte redivivum, omni humanâ vi superiorem, mortis victorem, atque ita generi humano ad oculum demonstravit, vitam illam, quae in ipso erat, esse im-

mortalem et incorruptibilem. Conf. Luc. 24: 21, 1 Cor. 15: 14.

5. Idem ille amor, quem adventu, vitâ morteque suâ ostendit, deinceps quoque eum, in coelum reducem, adduxit, ut, praecipue primo Pentecostes die, coelestem se Ecclesiae, Divinitus in toto genere humano condendae, Principem demonstraret; et vero amor ille eundem perpetuo adducit ad omnem vim suam adhibendam, ut, quam in terris versans fundare incepit, Ecclesiam stabiliat, propaget et perpetuo perficiat. Quod ut agit moderandâ Ecclesiae suae omni sorte, ita vel imprimis efficit per illos, qui fide ipsi habitâ, ipsum sequuntur ipsiusque ducti spiritu agunt. Conf. Eph. 4: 10—12.

Haec, quae (n. 1—5) enumeravimus, sunt, quorum vi opus suum exsecutus est et exsequi pergit Jesus Christus. Haec autem a se invicem separanda non sunt, sed arctissime juncta vim eam habent. Nam adventus ejus in has terras vim habuisset nullam sine vitâ sanctâ subsequente; mors nullam sine hac eâdem Dei Filii vitâ antecedente, parvam sine subsequente in vitam reditu; et haec omnia per ipsius modo coelestem perpetuamque vitam et curam universo omnium temporum generi humano prodesse possunt.

In his iisdem autem aliud maximum et efficacissimum modo est pro alio ad hoc illudve respectu. Si curam respicis, quam Deus generis humani saluti adhibuit; haec e Filii has in terras missione, eâque aptissimo tempore factâ, imprimis elucet. Si perfectam imaginem sancti in instituendis hominibus amoris universeque exemplum pietatis in multifariis vitae conjunctionibus et tentationibus quaeris; vita Jesu in terris acta maxime est observanda. Si amoris in Deo Christoque, peccata condonantis et peccato liberare genus humanum volentis, magnitudinem respicis; haec in ejus morte omnium maxime elucet. Si patientiam et constantiam in ferendis calamitatibus, si etiam vim ad opiniones cupiditatesque sensuales et terrenas, spirituali Christi regno adversantes, destruendas idoneam attendis; eadem ejus mors imprimis est laudanda. Sin vero certam de Jesu, Dei Filio

eoque Divinitus destinato perpetuo Ecclesiae Principe, persuasionem vis et evidentiam; prae reliquis observanda est ejus e morte in vitam revocatio. Si denique amoris, totum genus humanum amplectentis, constantiam respicis; reliquis major est vita Christi coelestis, Ecclesiae saluti consecrata.

Hinc intelligitur, quare Apostoli nunc potissimum locuti sint de Jesu Christi adventu et missione in terras, Joh. 1: 14, c. 3: 16, Gal. 4: 4, 5, et ipse Jesus Joh. 17: 3: nunc de ipsius vita, Phil. 2: 6—8, 1 Joh. 1: 1—3, Act. 10: 38, 1 Petr. 1: 21—23, ipseque Jesus Joh. 8: 46, c. 17: 4; nunc de Jesu morte, Paulus Rom. 5: 6—8, Eph. 1: 7, Phil. 2: 8, Col. 1: 20, 1 Tim. 2: 4—6, Petrus 1 Petr. 1: 18, 19, c. 3: 18, Johannes 1 Joh 2: 1, 2, Apoc. 1: 5, c. 5: 9, ipse Jesus Matth. 20: 28, c. 26: 28, Joh. 10: 11—18; nunc de Jesu resurrectione, Act. 1: 22, 1 Petr. 1: 3, Act. 17: 31, Rom. 1: 4, 1 Cor. 15: 4, 10, Gal. 1: 1 (conf. *Waarheid in Liefde*, 1847, III, p. 457), ipse Jesus Joh. 2: 19; nunc de Jesu vita coelesti, 1 Petr. 3: 22, 1 Joh. 2: 1, Eph. 4: 10—12, Phil. 3: 20, 21, Hebr. 4: 14, c. 6: 20, c. 8: 1, c. 9: 24.

§ 36.

Ejus actionis effectus in genere humano.

Illa, quae § 35 commemorata sunt, quibus Jesus Christus in homines egit agitque, et singula effectum in genere humano habuerunt, et conjuncta.

Quaenam horum vis sit cum ad Deum plene cognoscendum, tum ad hominis naturam destinationemque et methodum hujus attingendae perspiciendam, hîc inquiri nequit; de his in Theologia, Anthropologia et Soteriologia erit videndum. Nunc praecipuos tantum, qui in ipsa humani generis *vita* cernuntur, effectus, historia duce, indicamus.

1. Singula si spectas, ipsius e coelesti gloria in terrenam miseriam adventus effecit, ut multi, eum admirantes, cultu prosperoque vitae genere relicto pauperum casas, aegrotantium lectulos, gentium incultarum regiones peterent aut earum quoque vexationes non reformidarent, salvandorum hominum causa.

Ipsius vita sancta et amore plena effecit, ut multi, ipsum venerantes, sancti et ipsi vivere studerent, in ipso adeo coelibatu eum imitarentur, et amore pleni agendo, docendo, instituendo alios informarent.

Ipsius mors, a mundo perverso inflicta, effecit, ut, a peccato, in mundo dominante, abhorrentes, atque amorem Christi gratuitum sanctumque agnoscentes, prae ipsius quoque amore ejus sectatores similiter mortem adeo, si a mundo infligeretur, non detractarent, sed in hujus etiam adspectu pergerent humano generi consulere. Eadem ipsius mors, amoris Divini erga gentem humanam, licet peccantem, maximi documentum, animique humani penitus se Deo consecrantis exemplum perfectum, effecit, ut sacrificia pro peccatis expiatoria abolerentur, et tanquam filii, paterno Dei amori confidentes Deoque animum totum consecrantes vivere discerent homines.

Ipsius e morte in vitam reditus effecit, ut, dum antea genus humanum vitam unice terrenam viveret et vitae post mortem futurae levem modo spem haberet, nunc certa in gente humanâ, cum Christo, in aeternum vivente conjunctâ, oriretur persuasio, vitam sanctam et Christo similem esse incorruptibilem atque aeternam.

Coelestis denique ipsius cura effecit, ut ejus sectatores cum ipso coelesti Domino vivere conjuncti vellent, usque adeo ut vel terrenam hanc vitam interdum prae coelesti illâ aut contemnerent aut facillime linquendam statuerent.

2. Conjuncta illa omnia effecerunt, ut loco civitatum terrenarum, quibus superius nihil Antiqui habuerant, exsisteret, perficeretur et propagaretur Ecclesia Christiana, civitas spiritualis et coelestis.

Haec primum inter Judaeos et cultiores Gentiles jam cito se extendit.

Per diruta Hierosolyma Judaïsmo superior plane evasit.

Per imperatorem Christianum, qui e sede antiquâ gentili imperium orbis transtulit in urbem unice Christianam, superior evasit Ecclesia Gentilismo.

Per Mohammedanismum tentata quidem et labefactata, sed et purgata est haec Ecclesia Christiana.

Per novas gentes Germanicas ad Ecclesiam adductas orbis plane novus exstitit, nullo cultu Ethnico informatus, sed inde ab initio per Christum solum institutus.

Imprimis per Reformationem intus purgata est et insignem in modum perfectior evasit Ecclesia.

Recentissimis his nostrisque temporibus cum ulterius provecta est causa Reformationis, tum specialiter per Missionarios Ecclesia in universo terrarum orbe propagatur.

D. Conjunctio personae et operis Jesu Christi inter se et cum aliis rebus.

§ 37.

Conjunctio hujus operis Jesu Christi cum ipsius persona.

Opera egregia omnia semper sic conjuncta sunt cum personâ eorum, qui illa effecerunt, ut horum auctorum excellentia fons sit, unde unice operum illorum excellentia fluxit.

1. Si singula, quae, coll. § 27—33, Jesu Christi personae propria sunt, spectes, haec variis immensi negotii, ab ipso peragendi, partibus, coll. § 34—36, exsequendis et necessaria sunt et plene sufficientia.

Qui vere homo est et ut homo his in terris vixit paupertati, tentationibus, morti subjectus, coll. § 27, ipsâ doctrinae, exempli omnisque vitae suae humanitate exsequi potuit negotium, non lege aliquâ Divinitus desuper imponendâ exsequendum, sed unice ipso hominum ingenio animoque excolendo atque informando internâque vitâ omni regundâ attingendum, ut sic vere penitusque homines ad Deum duceret. Conf. 1 Timoth. 2: 4, 5.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* § XXXVII, 5, p. 234. et LA CLÉ, *De Jesu Christi instituendi methodo, hominum ingenia excolente*, *Gron.* 1835.

Qui ingenii non modo sed et animi humanitate cum hominibus iisque omnibus conjunctissimus est, coll. § 28, eo ipso omnis sexûs, generis, gentis aetatisque homines ad se allicit suoque imbuit spiritu. Conf. Gal. 3: 27, 28, Col. 3: 11.

Qui ἀναμαρτησίᾳ sua a reliquis hominibus omnibus dis-

tinctus, sanctitatem constantem perfectionemque magis magisque summam ostendit, coll. § 29, 30, hic unus sine errore vitiove sanctissimum et mente concipere et animo velle et reapse exsequi poterat consilium generis humani peccato penitus liberandi et perfectissimâ cum Deo conjunctione beandi. Conf. Joh. 17: 19, Hebr. 4: 15, c. 7: 26.

Conf. denuo ULLMANN, *Die Sundlosigkeit Jesu.*

Qui coelesti antea gloriosissimâque conditione gavisus est, eamque liquit, ut, humanis terrenisque necessitatibus, tentationibus, perpessionibus morteque ipsâ perferendis, homines omnes ad summam duceret salutem, coll. § 31, hoc ipso amore maximo genus humanum sibi arctissime devinxit, et ad ipsius exemplum in mediis etiam necessitatibus, tentationibus, perpessionibus ipsâque morte sequendum incitavit perduxitque. Conf. Phil. 2: 5 seqq. Hebr. 12: 2.

Qui idem e morte ad coelestem vitam potentiamque summam evectus, vitam hanc potestatemque omnem adhibet prae amore, ut salutare suum aeternumque perficiat negotium, coll. § 31, hac perpetuâ suâ coelesti curâ opus hocce, in terra ab ipso inceptum, constanter magis ad effectum perfectionemque ducit. Conf. Matth. 28: 20, Hebr. 4: 14—16, c. 7: 25, Apoc. 1: 5, 17, 18.

Denique, qui vitam hanc suam omnem, ut a Deo acceptam, ita plane Divinam patefecit unicus Dei Filius, coll. § 32, eamque totam, volente et mittente eum Deo, coll. § 34, generi humano ad mortem usque consecravit, atque coelitus perpetuo consecrat, hic unus et perfecte Dei amorem condonantem atque ad sanctitatem ducentem manifestavit, et perfecte omnes sui simillimos, Dei filios reddit, Patri se confidentes Patremque et amantes et sequentes. Unicus igitur ille Divinus homo solus est Divinus idemque humanissimus hominum omnium Dux, ad Deum ut Patrem penitus ducens et cum Deo cunctos intime conjungens. Conf. Joh. 14: 6—12.

Conf. omnino C. ULLMANN, *Het Wezen des Christendoms, of des menschen eenheid met God, Utrecht*, 1846.

2. Sin cuncta, Jesu Christi personam insignientia,

contempleris, haec sola universi, quod suscepit efficitque, operis causa idonea et fons sufficiens agnosci debet.

Ecclesiae Christianae, id est societatis universalis ejusque Divinae, in mundo per peccatum depravato atque dilacerato fundandae perpetuoque et conservandae et perficiendae opus prae operibus optimis quibusque adeo eminet, ut dicendum sit consuetis viribus humanis longe superius, prorsus stupendum, unum aliquod perpetuum miraculum.

Ipsius Jesu Christi, hominis perfecti et prorsus sancti Divinique atque perpetuo vivere et in genus humanum agere pergentis, persona prae personis summis quibusque adeo excellit, ut dicendus sit ille reliquis hominibus longe superior, plane admirandus, tota ipsius persona unum miraculum summum.

Sed hujus admirandae personae excellentia ea est, ut stupendi illius operis causa esse dicenda sit plane idonea atque naturalis. Uti auctoris mirandi opus mirandum est, ita hoc ab illo effectum esse mirari nemo potest; imo vero naturale prorsus esse, quisque videt, ut coelestis ille spiritus, qui per Ecclesiam Christianam in humano genere ortus propagatusque est, oriri propagarique debuerit, cum Ecclesiam illam condiderit perpetuoque regat Christus ille, coelesti spiritu prorsus perfectus. Vid. omnino § 35, coll. § 36.

§ 38.

Conjunctio apparitionis et operis Christi cum historiâ generis humani antecedente.

Personae alicujus excellentis opus et historia prorsus intelligi nequeunt, nisi illius conjunctio cum historiâ reliquâ perspiciatur.

> Ideo recte recentioribus temporibus Biographiae simul sunt delineationes totius aevi, quo vixit ille, cujus vita describitur. Vid. v. c. WYTTENBACH, *Vita Ruhnkenii.*

Ubi videmus, Deum tam eximium donum, quam in Christo dedit, generi humano praebuisse aliquando, sponte adducimur, ut quaeramus, an ergo idem ille Deus

antea quoque genus humanum jam similiter curaverit, necne.

Id autem inquirentes, facile videmus, Deum ab initio inde curasse gentem humanam, et historiam universalem vere esse historiam Divinae institutionis generis humani.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Voorlezingen over de geschiedenis der opvoeding des menschdoms door God tot op de komst van Jezus Christus.* — In hac historiae moderatione Deum jam Filio suo, τῷ Λόγῳ, usum esse, interdum significarunt nonnulli primi doctores Christiani, uti auctor ad Hebr. 1: 3, Petrus 1 Epist. 1: 11, EUSEBIUS, in *Introitu Hist. Eccles.* Ab omnibus Christianis agnoscendum est, in eâ Deum eodem spiritu egisse, quem in Jesu Christo demum plene patefecit. Conf. § 50.

Hanc autem, quae ante Christum locum habuit, institutionem Divinam si comparamus cum opere, quod per Christum Deus egit, illam videmus esse praeparationem ad hanc institutionem perfectam.

Conf. Gal. capp. 3, 4, ubi de Gentilibus etiam sermonem esse, liquet ex c. 4: 8. CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom.* I, p. 282: Ἐπαιδαγώγει καὶ ἡ φιλοσοφία τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους. Postea haec idea magis disparuit inter Christianos, donec nostris temporibus denuo in vitam revocata est ab Historicis et Theologis.

§ 39.

Speciatim cum historia Israëlitica.

Illa institutio Divina uti nusquam defuit, ita apud Israëlitas specialiter in *religionis* causa cernitur. Atque ideo uti aliae gentes, moderante Deo, aliud attulerunt ad cultum generis humani provehendum, ita in causa religionis verae plurimum Israëlitae.

Gens haecce cum fatis reliquis omnibus, tum et commercio cum gentibus antiquis cultioribus, tum inprimis Lege religiosâ et Prophetarum vaticiniis sic fuit informata, ut et tempora meliora, per Messiam adducenda, exspectaret, et ad haec accipienda praepararetur. Sic

ergo prae caeteris gentibus apta est facta, in qua Jesus Christus appareret, et idonea, ut ipsius certe pars aliqua illum reciperet atque fidem ipsi haberet prima in genere humano.

Cum salutis summae in genere humano futurae effector imprimis exspectaretur, ut regni Theocrati *Rex* perfectissimus, hinc Jesus Judaeis commendatus est ut *Messias*, uti alienigenis Σωτήρ, veluti 1 Joh. 4: 14. Cumque in regno Theocratico rex, ut Dei, regis supremi, vicarius, appellaretur *Dei Filius*, veluti Ps. 2, et rex ille futurus excellentissimus a Daniele descriptus esset ut *hominis filius*, id est ut humanissimus, Dan. 7: 13; hinc in N. F. appellationes *Dei Filii* et *filii hominis* cum *Messiae* denominatione saepe arcte cohaerent, licet haec Jesum *regem*, illae eundem *Divinum* atque *humanissimum* designent.

Haec singularis praeparatio gentis Israëliticae non ipsius tantum gentis hujus causâ locum habuit, sed et generis humani totius gratiâ, ut per illam, si primum Jesum Christum accepisset, hicce Jesus Christus cum reliquis hominibus communicaretur. Ad hoc efficiendum plurimum etiam contulit, quod, quo tempore Jesus apparuit, gens illa, Deo moderante, per terrarum orbem cultiorem omnem esset dispersa.

§ 40.

Conjunctio apparitionis et operis Jesu Christi cum patefactione Dei in rebus creatis conspicuâ.

Secundum § 38, 39 jam vidimus, quomodo Jesu Christi apparitio juncta sit cum opere Dei, quod providentiae ipsius regimine continetur; nunc pariter conjunctio indaganda est ejus cum opere Dei, quod creatione continetur.

Rerum autem creatarum natura ditissima est, sed aliae aliis magis ostendunt Divini auctoris sapientiam et excellentiam. Omnium rerum, quas nos novimus, maxime Deum refert humana natura. Inter homines autem alii aliis magis Dei gerunt imaginem. Est autem apparitio Jesu Christi apparitio hominis perfectissimi; atque ideo patefactionem continet Dei perfectissimam.

Singularis est haec apparitio Jesu Christi in eo, quod ille non ad hunc terrenum rerum ordinem tantum pertinet, sed ex superiori rerum ordine in hunc egit agitque. Sed hoc tamen congruit modo, quo Deus in rebus creatis caeterum quoque agit, cum sol et lumina coelestia pariter in terra vim exserant eximiam. Ut igitur sol lucem eâque ipsâ vitam physicam coelitus in terra excitat; ita pariter Jesus Christus, sol mundi spiritualis, in hoc lucem atque vitam spiritualem excitat alitque.

Creavit autem Deus omnia sic vitâ internâ praedita, ut constanter se exserere possint debeantque; maxime homines vitâ propriâ instruxit, ut perpetuo magis se explicent et ad perfectionem semper majorem procedant. Haec autem vita propria constanter indiget adminiculis a Deo praebendis, quibus adjuta illa sese exserere et explicare constanter magis possit. Huic ergo consilio Dei in rebus creatis conspicuo plenissime optimeque satisfacit opus Jesu Christi, ut qui genus humanum ad summam adducit perfectionem.

Mundi creationem ipsam interdum Apostoli proposuerunt a Deo per Filium, τὸν Λόγον, effectam, Joh. 1: 2, 3, Col. 1: 15—17. Eam certe ex eodem Dei spiritu, qui in Christo plenissime patefactus est, repetendam esse, atque ideo ei aptissime congruere hujus Christi patefactionem negotiumque omne, ab unoquoque agnoscendum est. Conf. § 38, 50.

E. Christologiae conclusio.

§ 41.

Quis igitur est Jesus Christus?

1. Est igitur Jesu Christo natura spiritualis una, quam et cum Deo et cum Divini item generis hominibus communem habet Hac fit, ut in ipso sit quod plane Divinum idemque perfecte humanum est. Ideo constanter aeque *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ* atque *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* appellatur.

2. Habet autem hanc naturam spiritualem gradu excelsissimo, ita ut Deo proximus, hominibus omnibus longe sit suberior. Ita ille , qui e conditione, *μορφ˜*, Deo si-

millimâ, coelesti in hanc terram descendit, sine peccato sanctus Deoque simillimus hîc vixit, et constanter pergit coelitus Ecclesiae suae prospicere eâdem suâ vitâ, Deo simillimâ. Conf. Phil. 2: 6 seqq. Ideo meritissimo dicitur *μονογενὴς παρὰ Πατρὸς*, Joh. 1: 14.

3. Hanc vero naturam excelsissimam patefecit hac in terra conditione externâ, *μορφῇ*, non coelesti, sed terrenâ, quae ei erat non cum Deo, sed cum hominibus communis, quippe qui hîc erat *σαρκὸς καὶ αἵματος κοινώνος*. Ideo omnino dicendus est *ἄνθρωπος Ἰησοῦς Χριςὸς*, 1 Tim. 2: 5.

4. Hisce omnibus ille est unus perfectus Deum inter et homines Mediator, qui, ut *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ* et *τύπος τῶν ἀνθρώπων*, Deum penitus ad hominum animos animosque hominum ad Deum perducit. Est ergo ipse *εἷς Μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων*, conf. l. l.

5. Est illius adventus a Deo quidem et per creationem et per providentiam omnem praeparatus, humani autem generis necessitatibus et desideriis diu exspectatus, donec aptissimo tempore locum haberet, atque adeo ille, Dei consiliis exsequendis humanisque necessitatibus explendis unice planeque satisfacturus, veniret *ἐν πλήρωματι τοῦ χρόνου*, conf. Gal. 4: 1 seqq.

6. Ejus autem adventûs hoc in Deo consilium et hic in humano genere effectus est, ut Divinus ille homo homines magis magisque cunctos sibi simillimos, cum Deo intime aeternumque junctos efficiat. Ideo est Caput ecclesiae in humano genere Divinae, et Divinus humani generis *Σωτὴρ*, conf. Eph. 1: 22, 23. 1 Joh. 4: 14

PARTIS PRIORIS

SIVE

DOGMATICES

SECTIO II.

THEOLOGIA.

A. Praeparatio.

§ 42.

Deus undenam nobis sit cognoscendus.

Post explicitam Christologiam, coll. § 20, jam primo videndum de Deo, ut religionis objecto, quo melius deinceps Anthropologia et cum hac arctissime juncta Soteriologia tractari possit.

Deus autem universe cognosci potest ex totâ rerum naturâ, specialiter humanâ; sed in Theologia Christiana, coll. § 19, omnia e Christo petenda sunt. Itaque nobis nunc

1. Deus longe maxime cognoscendus est ex Christo ipsiusque opere, tum quale olim in terris actum est, tum quale perpetuo coelitus in ipsius Ecclesia, atque adeo in nobismet etiam ipsis, peragitur; namque hinc Deus perfectissime cognoscitur, coll. § 40.

2. In adjumentum adhibenda sunt reliqua omnia Dei opera, creatio, providentia, natura humana; quum, si omnem Dei patefactionem spectamus, illa perfectissima quidem in Christo data sit patefactio, sed haec non data sola, verum ad reliquam omnem complendam concessa, coll. § 38—40. Sed reliqua tamen omnia ita et adhibenda et intelligenda sunt, uti postulat et luce suâ monstrat haec in Christo data patefactio summa.

Est igitur ipso etiam Veteri Foedere, providentiae Divinae ante Christum monumento clarissimo, non aliter utendum, quam mente per fidem Christo habitam illustratâ. Conf. 2 Timoth. 3: 15 et W. VERWEIJ, *Onderzoek, wat Paulus bedoelt, wanneer hij zegt, dat de Heilige Schrift des Ouden Verbonds den Christen wijs maakt tot zaligheid* ,, door het geloof in Jezus Christus," in *Waarheid in Liefde*, 1838, I.

§ 43.

Deus quomodo inde cognitus sit variis temporibus.

Ante Christum apud varias gentes varie fuit cognitus et cultus Deus, vel ut natura immensa, vel ut tyrannus aut rex, vel ut legislator et judex. Plerumque non una colebatur Dei persona suprema omnemque Divinitatem complectens, sed haecce Divinitas inter plures dividebatur Deos, eosque fere fato cuidam subjectos. Apud Hebraeos vero Deus erat persona moralis et sancta, et monotheismus regnabat, isque diu formâ tantum populari, post Maccabaeorum aetatem vero formâ etiam philosophâ, maxime apud Philonem. — Caeterum Providentiae Divinae idea, magis minusve perfecta, fere ubivis in antiquitate regnabat, et etiam nunc inter Gentiles quoque regnat.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Instit Theol. Nat.* § XXIV, 16.

Nobis nunc de Ecclesiae Christianae notionibus videndum.

1. Jesus Deum semper Patrem dixit et *in se Patrem ostendit*, eumque tenerum atque amore plenum, sed amore justo et sancto, suosque instituentem.

2. Praeeunte Jesu, qui primus ita Deum constanter Patrem appellavit, Apostoli Deum *praedicarunt Patrem hominum omnium*, amore summo se vitamque suam cum iis communicantem. — Ubi Antiqui Patrem dicebant Deum, maxime cogitabant genitorem omnium; ad Jesu exemplum Apostoli in Deo amorem paternum, eumque se cum hominibus communicantem, spectarunt potissimum, Luc. 15: 11—32, Hebr. 12: 5—11, 1 Joh. 4: 10, 13, 16.

3. Christiani primaevi Orientales et Graeci maxime

tenuerunt Deum unum esse; et quidem contra Gentiles polytheistas, unum esse vere Deum, et contra Gnosticos atque Manichaeos, qui universi Creatorem et Judaeorum Deum a Deo Christianorum distinguebant, unum esse Deum rerum omnium auctorem et gubernatorem. Inter se vero imprimis disputarunt Christiani, quo sensu unus sit ille Deus. Prodiit haec disputatio primum, cum Monarchiani unicam Dei naturam tribuerent non modo Patri, sed etiam Filio et Spiritui S., ut tribus nominibus unius naturae, tribus modis cogitatae. Deinde ea disputatio maxime progressa est, cum Arius veterem Alexandrinorum sententiam de τῷ Λόγῳ, naturâ creatâ Deo proximâ, explicaret; contra quem ejusque asseclas in concilio Nicaeno, a 325, Constantinopolitano, a. 381, aliisque sic constitutum est, ut tandem crederent plerique unum esse Deum, in cujus substantia tres sint personae. Cum vero in tritheismum et polytheismum adeo relabendi periculum Ecclesiae ortum esset, ad monotheismum eam reduxit cura Divina per Muhammedem, acerrimum post Christum monotheismi vindicem.

4. In Occidentali Ecclesia magis *tenuerunt Deum esse Imperatorem;* qualem sic maxime docuerunt, ut omnes adducere studerent ad hujus legi obediendum. Specialiter autem eum ut talem jam proposuerunt Tertullianus et Cyprianus; exposuitque hanc sententiam, imprimis in opere de Civitate Dei, Augustinus. Hic universe proposuit Deum, ut Imperatorem illimitatum, qui ex perditionis massâ humanâ nonnullos decreverit per Christum ad se reducendo servare, caeteros e miseria non liberare; gratiam igitur Divinam modo irresistibili agere, sed in solos electos. Postea plane practice exsecuti sunt eam sententiam Papae, qui Ecclesiam Christianam reddiderunt tanquam novum quoddam imperium Romanum, in quo ipsi essent Dei Christique vicarii.

5. Non deerat jam in Ecclesia Occidentali justitiae Divinae notio; sed haec *Dei Judicis justitia explicata est* maxime a Scholasticis, praeeunte Anselmo, ita ut doceretur, justitiae huic, poenam ab humano genere postulanti, satisfieri debuisse. Cui cum Anselmus docuisset

satisfieri per Christi sacrificium, postea imprimis et Ecclesiastici et Scholastici statuerunt, satisfieri ei cum Christi meritis tum insuper bonis hominum operibus, salutem etiam merentibus. Porro de Fato ac Providentia etiam multis egerunt Scholastici, maxime praeeunte Thoma Aquinate.

Reformatores Ecclesiasticam de Deo doctrinam universe tenuerunt, unam modo *gratiae Divinae*, peccatores *justificantis* notionem denuo magis in lucem protraxerunt. Igitur post Arianos et Semiarianos damnatos Trinitatis sive Triunitatis doctrina ita permansit stabilis, ut Antitrinitarii sive Unitarii a Protestantibus non reciperentur, et Servetus ob eam sententiam crematus sit. Illam quoque satisfactionis theoriam universe tenuerunt Reformatores; quamquam rejecerunt merita humana et satisfactionem adscripserunt gratiae Divinae ita, ut, minus speculative quam Anselmus, sed magis practice Deum pro ponerent, amore Divino ductum, ut Christum daret, qui sacrificio suo justitiae Divinae satisfaceret.

6. Deum nominarunt quidem Patrem omni aevo Christiani omnes, sed *Dei ut Patris notionem exposuit* de industria demum Abaelardus. Deinde Patris Dei gratiam justificantem commendarunt maxime Reformatores, sed plerique solorum *electorum* Patrem habentes Deum. Erasmus, Melanthon, Joh. à Lasco, Ursinus gratiam Dei ita universalem docuerunt, ut Deum proponerent omnium *Christianorum* Patrem. Huic sententiae assenserunt Lutherani, hanc explicuerunt maxime Remonstrantes. Gratiam Dei sanctificantem imprimis praedicarunt Jansenistae. Denique omnium *hominum* patrem et institutorem Deum laudare coeperunt multi post Lessingium, ita, ut per varios patefactionis gradus genus humanum ad perfectionem sensim majorem Deus evehat.

7. Eodem autem tempore in dogmaticis disquisitionibus non practica sed *speculativa Dei notio* saepe regnavit. Et post Reformatores quidem haud pauci Protestantes ita haeserunt in variis Dei proprietatibus indagandis, ut proprietatem sive propriam ejus naturam tantum non negligerent, fingerentque adeo Divinarum proprietatum, im-

primis justitiae et amoris, pugnam, per Dei Filium tollendam. — Imo cum ab Aristotele Deus haberetur vix aliud nisi τὸ πρῶτον κινοῦν, eum sequentes Scholastici jam Deum proposuerunt ut naturam infinitam, quae ab aeterno exstiterit rerum omnium causa physica. Post Reformationis tempus haec Scholastica ratio apud Theologos etiam Protestantes denuo multum invaluit et per Spinosam aliosque recentiores philosophos provecta est; ita ut haud raro Ethnica notio Dei, qua natura immensa habetur fato alligata, magis dominetur, quam Christiana Patris coelestis idea. Quin et, cum multi diu Deum paene e mundo exclusissent, jam, e Spinosae sententia, pantheistice a nonnullis Deus in mundo inesse proponitur.

§ 44.

Deus quomodo inde nunc cognoscendus.

1. Deus supra omnia cognoscendus, utpote qui religionis objectum est, et unus, ex quo omnia profluunt, et ad quem omnia sunt referenda.

2. Ut, quis sit Deus, cognoscatur, non ab una tantum parte spectandus est, non modo ut unus, vel quo sensu unus, vel ut in Christo solo, non item in mundo universo historiaque omni, adspectabilis, neque modo ut imperium regens, vel justitiae suae satisfaciens, vel gratiâ suâ condonans. Sed, quae de Deo a nobis cognosci possunt, omnia conjunctim sic cognoscenda sunt et comprehendenda, ut cunctorum harmonia et unitas rite perspiciatur, et ut pateat, Deum hunc esse verissimum *religionis* ejusque perfectae objectum, conf. § 11, 22.

3. Ab omni parte autem talis cognoscendus et in omnibus talis contemplandus nobis est Deus, qualem sese patefecit in Filio suo, et constanter se patefacit in hujus opere, quo Ecclesiam sancto Dei spiritu animat.

Est autem hoc Dogmaticae huic nostrae adeo privum et proprium, ut hinc tota pendeat nostra de Deo et de religionis Christianae indole singulari disquisitio, conf. § 42. Neque enim aut e Codice Sacro promiscue, aut etiam ex Jesu Apostolorumque effatis per se spectatis modo sapien-

dum esse existimamus, sed e *patefactione* ipsâ, sive rebus in facto positis, quibus, quis sit et quid agat velitque, Deus ipse manifestavit. Neque reliquam patefactionem, in rerum naturâ universâ et historiâ generis humani universali inveniundam, aequiparamus patefactioni in Jesu Christo datae; sed ex hac, ut pote *summâ planeque perfectâ patefactione* omnis lux ita haurienda est, ut hac collustrati etiam aliunde purissimam et perfectissimam cognitionem repetamus. Vid. § 13, 19, 38—40. Est autem *in Jesu Christo* perfectissima Dei patefactio duplici modo reperiunda. Etenim *et* illius persona est perfecta Dei imago, *et* illius opus perfectum Dei agentis theatrum. Ille enim non est quidem Deus ipse, sed is, in quo Deus semet ipsum vitamque suam penitus expressit, sive auctore Deo adeo simillimus Patri Filius, ut hominibus *patefacere*, quis sit et quid agat ac velit, Deus perfectius nullo modo possit, conf. § 32, 40. Illiusque opus et Deo volente est susceptum et Dei spiritu, constanter perfecteque eum animante, peragitur et summis Dei consiliis exsequendis in ipsius Ecclesia atque in nobis etiam ipsis inservit; neque igitur ulla agentis Dei *manifestatio* esse perfectior potest, conf. § 34, 37. Denique nolumus ex ideis a priori constitutis Dei aliquam notionem nobis construere sive fingere; sed, quis vere *sit* Deus, cernere e patefactione, qua *ipse, quis sit, perfectissime manifestat.* Quod ut Christianis nobis, hac patefactione beatis, congruit, ita id et homines nos decere existimamus et ad religionem eamque verissimam nostrâ disquisitione provehendam unice adaptatum judicamus, conf. § 22.

Saepe Theologi, quomodo de Deo, itemque de homine et de salute comparandâ sentiendum sit, derivant modo e *doctrina Jesu et Apostolorum;* sed ita patefactionis *explicationem*, illorum aequalibus adaptatam, commutant cum *patefactione* ipsâ, Divinitus in Jesu Christo datâ toti omnium temporum generi humano. Antiquiores Theologi, ubinam haec patefactio in re Christianâ esset inveniunda, non distincte inquisiverunt. Neologi saeculo XVIII demum eam unice quaesiverunt

in *doctrina* Jesû et Apostolorum. Distincte inquirere eam in rem coepit C. L. NITZSCH, *De revelatione religionis externa eademque publica*, *Lips.* 1808, qui docuit, revelationem in rebus historicis atque in facto positis contineri, simulque jam ostendit, „Christianam „revelationem non posse melius vel defendi et expli„cari, vel ad usum, cui destinata est commendari et „converti, quam si sequamur notionem illam," uti ipse dicit *Praef.* p. VII. Nobis patefactio quaerenda omnino videtur in Jesu persona et opere, ipsius verbis, utpote mentis voluntatisque signis, non exclusis, sed inclusis, ideoque in Jesu Christo ipso, eoque non modo olim in terris adspectabili, sed et nunc in Ecclesiâ suâ atque in nobismet ipsis vivente; unde ex Ecclesiae quoque historiâ, sed ad Euangelium, tanquam lapidem lydium, exactâ, quid in religione Christiana sit verum, derivamus. Vid. § 13, conf. VAN OORDT, *Wat is Openbaring van God in Jezus Christus volgens de Evangelische Schriften?* in *Waarh. in Liefde*, 1838, II. *Wat is de Leer van Jezus en de Apostelen in betrekking tot de Openbaring in Christus gegeven?* 1839, IV, aliosque in hoc opere periodico scriptores, qui hoc argumentum saepe exposuerunt, specialiter L. G. PAREAU, 1847, I, *Het belang van deze hoofdzaak in het Christendom, dat God ons de hoogste openbaring gegeven heeft in Jezus Christus.* Item vide de usu, quam historia Ecclesiae ad patefactionem Christianam cognoscendam praebeat, HOFSTEDE DE GROOT, *De berigten omtrent het onderscheidend karakter der Gron. Godgel. school van Mr. I. da Costa, toegelicht*, Gron. 1848, p. 53—60.

4. Videtur autem ordine procedendum hoc, ut primum de Dei essentia et natura, tum de Dei opere, cum in Christo peracto tum etiam reliquo omni nobis noto, agamus, atque ut denique ex hujus utriusque disquisitionis conjunctione nobis Dei notionem informemus.

B. DEI ESSENTIA ET NATURA.

§ 45.

Deum et esse et unum esse, uti in Euangelio sumitur, ita eodem confirmatur.

Quum in Christo data patefactio praecedenti Divinae patefactioni annectatur eamque perficiat, coll. § 38—40, in Euangelio sumitur, Deum et esse et personam esse eamque unam.

Id autem animo humano tam alte infixum est et in mundi naturâ generisque humani historiâ tam luculenter patet, ut ante Christum gentibus omnibus jam constiterit, esse Deum optimum maximum, Israëlitis autem et Ethnicis optimis etiam innotuerit, Deum personam esse eamque unam.

Hinc intelligitur, quare diu in Introitu Theologiae Christianae praemissa sit Theologia Naturalis.

Id ipsum autem, quod ita ex vero sumitur, vicissim etiam Euangelio confirmatur.

A. Et esse quidem Deum, h. e. esse spiritum perfectissimum, rerum omnium, quae sunt et fiunt, causam supremam, ex Christi persona aeque atque ex ipsius opere conspicimus.

1. Ex universa mundi exsistentiâ ejusque vitâ internâ, plantis animalibusque brutis propriâ, jam ad auctorem vivum adscendimus merito. Multo magis *esse Deum* eumque *personam* esse concludimus ex humani generis, praesertim eximiorum quorumque hominum cum exsistentia tum vita spirituali, tum et ex eorum conscientia, qua intime sentiunt, spiritum aliquem esse superiorem, unde ipsi suam habent vitam spiritualem. Omnium igitur evidentissimum est, talem naturam spiritualem, qualem in Christo videmus, prae aliis omnibus excellentem perfectamque adesse nullo modo posse, nisi adsit spiritus aliquis supremus, unde ille profectus est. Quod ut evidentissimum est, ita et ex ipsa illius Christi conscientia ubique liquet, cum ille in tota sua vita Deum perpetuo dixerit ostenderitque sibi ob oculos versari.

Ex Jesu persona confirmari Deum esse, ostendit ULLMANN, *Theologische Aphorismen* in opere *Stud. u. Krit.* 1835, III. seq p. 602. Deum esse personam et neque pantheistice Deum cum mundo confundendum esse, neque contra mundo Deum esse excludendum, sed mundum cogitandum esse in Deo sive cum Deo intime junctum, exposuit HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* § XXVI, 2, 5, § XXIX.

2. Ex opere Christi duplici apparet modo, Deum esse. Si opus informandi ad perfectionem generis humani, quod Christus peragit, comparamus cum creati orbis opere, cum civitatis Israëliticae conditae negotio, cum philosophiae Ethnicae praestantiâ, apparet, illud unum his omnibus longe esse excellentius. Quodsi ergo ex his Israëlitae et Gentiles merito jam escenderint ad Deum, mundi auctorem, Theocratiae Hebraicae conditorem et philosophiae datorem; multo etiam magis orbis spiritualis perfecta per Christum informatio Deum clamat auctorem, atque adeo palam ostendit, *Deum* eumque *spiritum* summum *esse.*

Praeterea, si in gentis humanae historiâ ubique cernimus, apto opportunoque tempore singulos quosque viros magnos exstitisse, ex eo concludimus ad sapientem rerum humanarum auctorem atque ducem. Jam vero, si opus Christi comparamus cum antecedenti historia omni, perspicimus, hanc fuisse praeparationem ad illud suscipiendum, conf. § 38. Atque adeo luce clarius fit, illud opus non modo per Jesum illum exstitisse et pergere adesse in maximam generis humani salutem eamque semper crescentem, sed *esse Deum*, *spiritum* supremum, rerum humanarum omnium ducem generisque humani institutorem, qui et apto opportunoque tempore hanc informationem supremam dedit hominibus, antea ab ipso ad eam praeparatis, et eam perpetuo concedit hominum generi, eâ constanter magis perficiendo.

B. Illum autem *Deum esse unum*, uti jam ex his omnibus sentimus, ita hoc ex toto Jesu opere, uti ex nulla re alia, luculentum fit. Ratiocinando Philosophi veteres

eo adscenderunt, docendo id inculcarunt Israëlitis Moses et Prophetae, sed nos id oculis ipsis adspectabile cernimus in Christo, utpote uno μεσίτῃ, qui totum genus humanum unâ viâ ducit ad unum Deum. Vide diserte expressum hocce 1 Tim. 2: 4, 5, et confer indicatum idem Joh. 10: 16, 17, c. 14: 6 et maxime Joh. 17: 3.

§ 46.

Dei natura.

Ut vere nobis prosit Dei cognitio et, uti decet, ad verissimam religionem provehendam ducat, non sufficit, coll. § 45, novisse, Deum esse et unum esse, spiritum perfectissimum, rerum omnium auctorem; sed praeterea et maxime quidem requiritur, ut quaenam sit haec ejus perfectio et quo animo quoque consilio sit rerum omnium auctor, nobis luculentissime pateat. Est igitur in religionis ejusque verissimae efficiendae causâ gravissimum id ipsum, quod Euangelio imprimis et paene unice exhibetur, ut nobis patefiat spiritualis haec Dei perfectio, quae simul omnium, quae egit, agit et acturus est, fons est. Hanc dicimus Dei, spiritûs illius supremi, rerum omnium auctoris, *naturam*, eamque hominibus, ad intimam cum Deo conjunctionem, i. e. ad verissimam religionem ducendis, imprimis cognoscendam; prouti liberis ad pietatem ducendis praecipue parentum natura moralis sive spiritualis pernoscenda est.

Ad hanc vero Dei, spiritûs supremi rerum omnium auctoris, naturam perspiciendam non licet in variis quibusdam Dei sive dotibus sive virtutibus indagandis praecipue versari, sed necessario ante omnia videndum est, quis sit universus quasi character Dei, sive quae indoles ejus tota. Uti enim hominem non cognoscis, si modo aliquas ejus facultates aut studia aliqua varia possis enumerare, sed si universum ejus characterem, facultatum studiorumque omnium rectorem omnisque vitae et actionis fontem, perspicias, ita etiam de Deo se res habet.

Jam vero Dei natura haec est, ut sit Pater coelestis, quo modo Jesus Matth. 7: 11, Luc. 11: 2, sive ut sit ἀγάπη, quomodo Johannes 1 Joh. 4: 8 enuntiavit,

sive ut omnium, quae Deus egit agitque, fons in ipso sit ἡ χάρις, quomodo Paulus id enuntiare solebat, Eph. 1: 6, 2 Tim. 1: 9.

Augustinus, Calvinus, Synodus Dordracena, alii, Deum non potissimum spectarunt *amorem*, sed potius in Deo praecipuam habuerunt ejus *omnipotentiam*, quae decreto absoluto futuram hominum sortem praedestinaverit. Quod dogma Schleiermacher non objective in Deo spectavit, sed, pro doctrinae suae naturâ, subjective in homine, affirmans, in religione Christiana regnare absolutam *nostram a Deo dependentiam*. At vero neutrum vel in Euangelio regnat vel characteristice Christianum dici meretur; sed potius ante Euangelium late patuit, inprimis apud Tragicos Graecos, qui nomine *Fati*, a Deo constituti, ab hominibus reverendi, idem placitum et celebrarunt et poëseos suae fecerunt momentum primarium. Conf. § 43, num. 7.

A. Ita statuendum esse de Deo, ut ejus natura sit amor, docet cum Jesu Christi persona, tum ipsius opus.

1. Persona Jesu Christi, hominis perfectissimi et unici Dei Filii, est perfecta Dei imago, vid. Joh. 14: 9 et conf. § 32, 40, 44, num. 3.

Jam vero ille Jesus Christus in benefaciendo semper versabatur, ut brevi testis oculatus descripsit Act. 10: 38, διῆλθεν εὐεργετῶν. Sic morbis miseriisque infinitos numero homines exemit, neque tantum, ut corpore sanos eos redderet, id fecit, sed ut animum curaret simul. Procul aberat a Stoica ἀπαθείᾳ, amabat homines reddere hilares, modo id non pugnaret cum consiliis sublimioribus, imo ut ad haec eos melius componeret; conf. Joh. 2: 1 seqq. Benefecit amicis eos perficiendo, inimicis condonando et eorum salutem perpetuo curando. Gentis suae socios et vero genus humanum totum in animo gessit, ut id perficiendo beatum redderet, Joh. 17: 21 seqq. In his uti cernitur indoles haec, quae amore continetur, ita et ipse amorem suum est professus Joh. 10: 1—18, c. 13: 34 seq., c. 15: 12 seq. Quidquid vero etiam Jesu Christo inerat, id ex amore suam praestantiam trahebat, amore unice dirigebatur. Vim suam potestatemque omnem

amore in salutem hominum adhibuit. Sapientiam suam omnem eo contulit, ut institueret prae amore alios. Laboris assiduitas amoris erat effectus. Ipsa adeo ejus ὀργὴ nil nisi amor erat, Marc. 3: 5. Atque ideo, ut in suis nil nisi amorem flagitabat, coll. Joh. 13: 35, ita in ipso unice amor aderat potentissimus, sapientissimus et perpetuus. Talem uti hac in terra viventem cernimus Jesum, ita in Ecclesiae historia perpetuo ille apparet amore conspicuus, utpote generis humani totius perpetuus Conservator et Beator, singulis aeque prospiciens Ecclesiae membris, atque Ecclesiae corpori toti, hanc indies magis extendens et genus humanum ad hanc perducens eodem amore, quo in terris versans ad se alliciebat fessos et fatigatos omnes.

Hicce igitur Jesus Christus cum Dei sit perfectissima imago, cernimus sane ex ejus persona luculentissime, Deum esse ἀγάπην.

2. Opus, quod peragendum suscepit Jesus Christus, est opus Dei, quo auctore ille id et suscepit et peragit, vid. Joh. 6: 57, c. 17: 18, item c. 3: 16, 1 Joh. 4: 9 et conf. § 34, 44, num. 3. Estque ideo illius operis exsecutio Divinae naturae theatrum, conf. Eph. 3: 10 et § 44, sive hujus operis, quod auctore Deo suscepit, naturam, sive ejus, Divinae voluntati accommodatum, propositum spectes.

a. Operis suscepti haec est natura, ut constanter versaretur Jesus in docendis et vitâ sanctâ informandis hominibus, ut pro iis, licet ad peccati culmen proruentibus, morti se traderet, et pro eorundem salute perpetuo in coelis vivat, conf. § 35. Hoc ipso igitur opere, ei demandato, Deus se patefecit τῆς ἀληθείας amantem, sanctissimum, gratuito maximoque et condonanti amore genus humanum totum complectentem, ut id, perpetuâ rerum omnium gubernatione, ad sanctitatem veramque salutem ducat; conf. Eph. 1: 6—10, 19—23.

Veteres Theologi, ut Jesu Christi operis partes describerent, eum, formâ ex V. F. desumtâ, dicebant Prophetam, Sacerdotem et Regem.

Cum in morte, qua Christus se pro mundo, peccatis, dedito, tradidit, summum sit Divini amoris condonantis documentum, toti generi humano datum,

Johannes eum dixit ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ὅλου τοῦ κόσμου, 1 Ep. 2: 2, conf. c. 4: 10, Rom. 3: 25. In N. F. autem ἱλάσκεσθαι non, ex Graecorum usu, significare *propitium facere*, vel ex eo liquet, quod non de personis sed de rebus dicatur, ac tum Hebr. 2: 17, ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας foret *propitia reddere peccata*; imo ex Hebraeorum ratione est peccata quasi *obtegere*, ne respiciantur. Illâ igitur ἱλασμοῦ voce Johannem non significasse, *propitium redditum esse Deum*, sed, quasi peccatis prae amore non respectis, *propitium se hominibus ostendisse* Deum, demonstravit VAN DER LOEFF, *Verhandeling over de* „verzoening der zonden" *door Jezus Christus*, in *Waarh. in Liefde*, 1843, II. — Cum ita per Christi mortem plena fides condonanti Dei amori habenda in Christianis orta sit hique eo ipso didicerint semet ipsos Deo consecrare: hinc liquet, quare per Christi mortem sacrificia expiatoria sint abolita, Hebr. 9: 25—28. conf. § 36. I.

b. Uti operis Christi naturâ animus Dei erga genus humanum, ita ejusdem operis proposito consilium Dei luculentissime est patefactum. Tendit autem hoc Jesu Christi opus ad omnis sexûs, aetatis, conditionis, gentiumque et temporum omnium homines servandos. Licet vel permulti essent, qui maxime adversarentur, imo licet totus mundus peccato sit subditus, tamen non venit Jesus Christus agitque, ut damnet aut perdat, sed ut conservet et beet. Idque agit eo modo, quo verus amor unice servare potest, id est a peccato reducendo et ad sapientiam sanctitatemque adducendo. Imo vero non ad aliquam modo salutem largiendam venit agitque Jesus Christus, sed ad summam, quae vel cogitari potest, naturae beatitatisque Divinae communionem in genere humano efficiendam, 2 Petr. 1: 4.

Tale esse Jesu Christi opus non modo ex ipsius vitâ in terris actâ, sed etiam ex universâ Ecclesiae historiâ cernitur. Haec enim docet, ad omnis generis, gentis, temporis homines salutem per Jesum Christum adduci. Docet item, Judaicae quoque gentis, quae ipsum primum rejecit, cives multos esse adductos ad ipsius societatem, pariterque imperium Romanum, quod ejus Ec-

clesiam primum vexavit, deinde in ipsius Ecclesiam esse susceptum. Docet denique eadem, per hunc Jesum Christum exstitisse novam, sanctam, Divinam aeternamque in genere humano vitam eamque perpetuo perfici. Imo nos ipsi, per Jesum Christum, experimur Deum gratuito, condonanti sanctoque amore nos illustrantem, emendantem sanctosque et beatos reddentem; atque ideo Deum per Christum sese patefacientem in nostrâ quoque ipsorum vitâ cernimus, aeque atque Johannes, 1 Ep. 4: 9, 10, 19, coll. c. 5: 11, et Paulus, 1 Tim. 1: 12—16.

Hoc igitur Jesu Christi opus cum et origine atque naturâ et consilio suo, ipsius Dei opus sit, cernimus sane in hujus theatro luculentissime, Deum esse ἀγάπην.

3. Quod ita e persona Christi ejusque opere speculative dilucideque cognoscitur, Deum esse ἀγάπην, id per utriusque vim conjunctam mystice penitus agnoscitur ab iis, in quorum animis, per Christum Divinitus informatis, vivit Christi spiritus. Hi enim spiritum huncce Divinum, Divinam hanc indolem in semet ipsis norunt totam quantam contineri amore. Hunc igitur, a Patre per Filium in semet ipsis suscitatum, spiritum Dei esse imaginem sentientes atque intuentes, vident, ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐϛί, 1 Joh. 4: 7—13, 16, 17.

B. Ubi autem dicimus, Deum esse amorem, non intelligimus sane aut debilitatem, quae in hominibus saepe amoris nomine appellatur, aut etiam beneficentiam solam vel solam benignitatem. Sed — ut definitionem, hosce errores repellentem, exhibeamus — amor Dei est studium gratuitum, constans et perpetuum hominibus largiendi summam, cujus pro eximiâ suâ naturâ capaces sunt, beatitatem; sive amor Dei est studium constans et perpetuum sese communicandi cum hominibus, hominesque ad se erigendi et intime secum consociandi.

Hoc amore Dei naturam indolemve omnino omnem contineri, ex hac §° jam universe liquet. Ex hoc reliquas Dei virtutes omnes suam propriam excellentiam veramque Divinitatem repetere, ex subsequentibus distinctius etiam perspicies.

Amore omnem omnino contineri Dei virtutem, docuit B. DOORENBOS in *Dissert. Theol. Gron.* 1838.

§ 47.

Hujus naturae Divinae proprietates praecipuae.

Cum Dei, spiritûs supremi rerum omnium auctoris, natura sive indoles tota contineatur amore, jam, quo distinctius ea cognoscatur, de hujus amoris variis etiam proprietatibus, iisque harmonice conspirantibus, videndum est.

1. Et primum quidem hic amor *fonte* suo prorsus est *gratuitus*, ita ut ipsius origo principiumque in sola Dei voluntate sit quaerendum. — Id in Spiritu supremo, spirituum etiam excellentissimorum omnium fonte atque auctore, qualem Deum esse jam vidimus § 45, per ipsam rei naturam necessario statuendum est.

Neque id modo verum est, sed etiam in uno tantum Deo obvium, ut in sola ipsius voluntate origo amoris sit quaerenda. Namque et ipse Dei Filius Jesus Christus suae indolis amorisque sui originem e patre Deo repetivit, Joh. 5: 19, c. 15: 9. Illud in Deo agnoverunt Johannes I Epist. 4: 7—11 et Paulus Ephes. 1: 4, 5, 11. Ut ergo vitae physicae omnis origo principiumque a Deo derivandum est, ita etiam vitae spiritualis fons unicus in Deo est quaerendus, conf. Joh. 6: 57.

Hinc perspicis, praedestinationem, sive Dei consilium homines eosque omnes ad summam perducendi salutem (Rom. 11: 25, 26, I Tim. 2: 4, c. 4: 10, 2 Petr. 3: 9), unice ex Divini amoris gratuiti voluntate esse repetendum. Hoc et in eo conspicis, quod Deus ideo ab initio homines eosque omnes ingenii Divini creavit participes atque ita ad Divinae naturae beatitatisque communionem compositos; conf. Eph. l. l. — Hinc porro intelligis, quam vel absurdum sit, cogitare de merito aliquo hominum, quo Dei amorem sibi concilient; cum contra unice ex Deo omnia sint derivanda, etiam ea, quibus homo vel aptus fieri ad Divini amoris vim experiundam potest. In genere autem humano, peccatis dedito, si quod nominandum est meritum, homines con-

tra meruerunt, ut a Deo non diligerentur. Vid. Rom. 9. Hoc quam verum sit, jam conspicitur in Jesu persona, qui non a suis electus est, sed Divinitus ipse suos sibi attraxit atque elegit, ut per hos deinde quam plurimos ad Deum duceret tandemque mundum totum redderet fidentem et cum Deo intime junctum, Joh. 15: 16, c. 17: 20, 21. Idem luculentissime cernitur, si attendimus uti primo tempore ad Judaicam et ad Romanam gentem, quae utraque ad Ecclesiae, quam vexaverat, salutem est invitata et adducta, sic nostro etiamnum aevo ad gentes prorsus rudes, v. c. Australicas, quae e summa perversitate sine ullo opere suo Divinitus per Euangelii praecones fuerunt ereptae. Denique, qui, fide Christo habitâ Deique ad id amore incitante, ipsi gratuito suo amore homines eosque peccato subditos beare student, in semet ipsis Patris gratuito amantis imaginem intuentur, Matth. 10: 8, 2 Cor. 11: 7, Apoc. 22: 17.

2. Deinde hic Dei amor *indole* suâ est *justus*. Non diligit Deus alterum hominem cum alterius damno, aut aliam gentem cum alîus neglectu. Neque demonstrat suum amorem ex arbitrio omnibus eodem modo aut gradu, sed pro captu cujusque proque modo, quo eum amorem fidenter suscipit, magis et abundantius. Atque ita etiam ex amore ipsius ὀργὴ, castigationes poenaeque omnes oriuntur, quibus scilicet eorum vim resistentem frangat atque ita ad salutem, quam iis destinavit, eos adducat, Rom. 2: 11, c. 3: 29 seq., c. 9—11. — Haec proprietas Divino amori si non esset, dici non posset Deus et vere et omnes amare.

Cernitur autem illa Divini amoris justitia luculenter in Jesu Christo, Dei imagine, utpote qui et contemtissimos quoque homines dilexit, et gentiles etiam, ubi cum iis commercium habebat, non, pro sui temporis more, rejecit, et prae amore etiam irascebatur et vehementer increpabat pervicaces. — Quodsi historiam universam spectes, ideo Deus etiam ante Christum non solos Judaeos, sed omnes populos curavit. Quare Euangelium nulli annuntiatur genti, quin annecti in eâ possit iis, quibus Dei curâ jam ad id ipsa est praeparata. — In

Ecclesiâ gratiae Divinae vis maxima in iis cum hominibus tum populis cernitur, qui eam lubenter susceperunt. Cogites ex Apostolis Johannem et Paulum; ex Patribus Chrysostomum, Augustinum, deinde Lutherum, Spenerum, alios; ex gentibus gentes Germanicas, quae Reformationem laetae exceperunt. Contra Dei ὀργὴ poenaeque cernuntur in populis illis Orientalibus, qui negligentiâ suâ Euangelium in multa saecula perdiderunt. — Mystice si rem spectes, Christi spiritu animati Christiani ipsi aliter germanos Christi asseclas Deique filios τῇ φιλαδελφίᾳ diligunt, quippe quorum sancto et Deo devoto animo delectantur; aliter a Christo aversum, peccato deditum mundum sua φιλανθρωπίᾳ amant, ipsius indoli perversae ita resistentes, ut ipsum reducere ad Deum studeant, conf. Joh. 15: 17—19, 1 Joh. 2: 15. In hoc igitur, qui Divinitus per Christum in ipsis vivit, spiritu sentire ipsi atque intueri imaginem Patris juste amantis possunt, aeque atque Jesus, Joh. 17: 25, 26.

3. Porro Dei ille amor *directione* suâ est *sanctus*. Non hoc tantum vult, ut physicis malis homines liberentur, aut etiam bonis physicis cumulentur. Imo morale est hujus amoris consilium idque supremum, ita quidem ut reliqua omnia huic fini assequendo inservire debeant. Et in eo quoque non negativum modo est consilium hoc, ut *malis* liberentur, id est ut peccato liberi fiant homines, sed et positivum, ut *bono* donentur, id est ad virtutem, pietatem, verbo, ad sanctitatem ducantur. — Haec Divini amoris directio si non sit, dici nequeat Deus vere homines amare, quibus peccatum naturâ suâ miseriae, sanctitas naturâ suâ beatitatis fons est.

Jam vero illa Divini amoris sanctitas in Jesu Christi, Dei imaginis et a Deo missi, vitâ jam his in terris actâ conspicitur; cum ille universe hoc ante omnia semper egerit, ut erroribus peccatisque homines eximeret et ad vitam spiritualem sanctamque eveheret. Specialiter id luculentissimum est in ipsius miraculis, quibus homines morbis, coecitati, surditati, malis daemoniacis, imo morti eripuit, non tam ut his eos physicis calamitatibus eriperet propter se, sed ut ita cum ipsos tum alios mo-

veret, qui sese ab ipso eripi paterentur morbis, coecitatique et surditati animorum, malis intus eos animantibus spiritibus, mortique peccati, ut sani vigentesque et vita spirituali sanctâque vere fruentes forent.

Conf. J. SONIUS SWAAGMAN, *Onderzoek naar hetgeen Jezus bedoelt met zijne wonderen*, in *Waarheid in Liefde*, 1838. IV.

In Ecclesiae Christianae historia id, si fieri possit, luculentius etiam ostendit per Jesum Christum Deus. Namque miracula illa, externe homines sanantia et beantia, sensim cessarunt; contra vis illa a peccato revocans et ad sanctitatem ducens magis magisque se in humano genere ostendit. Atque id eo quidem modo factum est, ut homines non tantum vitiis perversitateque, quae antea aderant, sint exemti, sed etiam ut ad sapientiam et virtutem omnemque sanctitatem adducti sint et adducanter perpetuo magis talem, qualis antea adfuerat nunquam. Imo in antiquitate ante Christum ne notio quidem ipsa ἀναμαρτησίας et sanctitatis pura adfuit, quae demum per Christum exstitit. Et nunc contra adest in Ecclesia Christiana in optimis quibusque Dei filiis amor directione suâ sanctus, amoris Paterni sanctissimi imago.

Conf. de illa ἀναμαρτησίας notione ULLMANN, *Die Sündlosigkeit Jesu*, edit. 5[ae], p. 38, 74 seqq.

Ex his itaque intelligitur, amoris Divini consilium in sanctitate cum hominibus communicandâ summâ esse positum; ita quidem, ut et dicendus sit Jesus Christus non modo a Deo missus, quia peccato suberat genus humanum eoque erat liberandum; sed ut dicendus sit Deus, prae amore suo, voluisse a creatione inde generis humani mittere hunc Filium suum, ut genus illud, Divini particeps ingenii, ad summam Divinamque adduceret sanctitatem; sive ut existimandus sit Jesus Christus non peccati solum causâ, sed imprimis sanctitatis causâ in mundum esse missus. Hoc vidit etiam expressitque Paulus, Ephes. 1: 4 seq. conf. 1 Cor. 15: 45—48.

Ex sententia mox prolata facile deducas, Jesum Christum venturum fuisse in mundum, etiamsi genus humanum non peccasset; quod his ipsis verbis non qui-

dem effertur in Novo Foedere, sed tam luculenter ex Dei ideâ, Euangelio patefactâ, et ex consilio, quod assequendum sibi proposuit Jesus Christus, consequitur, ut illud vel conjecerint vel affirmaverint omni tempore Theologi et Christiani multi eximii. Quorum sententias, quum egregie inserviant ad naturam beneficii, nobis a Christo allati, explicandam, paucis recensebimus.

Initia hujus sententiae jam inveniuntur apud Patres antiquissimos, Irenaeum, Tertullianum, Origenem, alios, saepe indicantes, Dei Creatoris opus in genere humano condendo non fuisse absolutum, quamdiu perfectus non conditus esset homo Jesus Christus, qui ergo condendus erat, jam ideo, quia Divina perfectio opera sua plane absolvit. Conf. horum Patrum loca apud J. A. DORNER, *Entwickelungsgeschichte der Lehre von der Person Christi*, ed. 1ae. p. 57—68. Erat igitur jam illis Patribus incarnatio Filii non modo medium, quo homines peccato liberarentur, verum etiam libera Dei patefactio, quae prae reliquis omnibus Dei patefactionibus eminebat, quippe creationis et providentiae Divinae perfectio et corona. Longe accuratius sententia haec tractata est a Scholasticis, praeeunte THOMA AQUINATE, qui *In Librum III Sententiarum*, *Dist. I*, *Quaest. I*, *Articulo* 3 hanc inscribit interrogationem: „Utrum, si homo non peccasset, „Deus fuisset incarnatus?" cui et aliis verbis et his respondet: „Videtur, quod, si homo non peccasset, „Deus incarnatus fuisset: ut enim dicitur Deut. 32, „Dei perfecta sunt opera; sed perfectio non potest „esse, nisi ultimum principio conjungatur, ut sic „quasi quidam circulus concludatur et alterius additio fieri non possit; cum ergo ipse Deus sit primum, et homo ultima creaturarum, decuit ad perfectionem universi, ut, etiamsi homo non peccasset, „Deus homo fieret. Praeterea, humilitas est perfecta virtus; sed omnis perfectio Deo attribuenda „est. Ergo ipse perfectissimam humilitatem habet; „perfectissimus autem gradus humilitatis est, ut aliquis se inferiori vel conjungat vel subjiciat; ergo „decuisset, ut Deus aliquam creaturam assumeret,

„ etiamsi homo non peccasset. Item, non est credendum, quod homo ex peccato aliquod commodum reportaverit; sed maxima dignitas humanae „ naturae est in hoc, quod assumta est in unitatem „ Divinae personae; ergo hoc per peccatum homo „ ascutus non est." Quibus tamen dubia nonnulla pro more adjungit. — Certius etiam quam Thomas affirmavit JOHANNES DUNS SCOTUS, *In Libr. III Sentent. Dist. VII. Q.* 3 *Schol. et Dist. XIX*, *Schol.* 3, Dei Filium in terras venturum fuisse, si vel non peccassent homines. Nam sententiam Augustini aliorumque, „ si homo non peccasset, Filius Dei non esset incarnatus," ita interpretatur, Filium Dei tum non quidem fuisse incarnatum, ut esset *Redemtor*, attamen incarnatum. Etenim „ incarnatio Christi non „ fuit occasionaliter [occasione Adami peccantis] prae- „ visa, sed sicut finis immediate videbatur a Deo ab „ aeterno."— Omnium accuratissime rem persecutus esse videtur ROBERTUS CARAÇOLI DE LICIO, qui saeculo XIV vel XV vixit, *Opus de laudibus Sanctorum*, *Venet.* 1489, *Antw.* 1490, *Sermo* III, ubi explicat, incarnationem Christi etiam sine peccato humano eventuram fuisse, quia facit ad hominis perfectionem secundum *naturam*, *gratiam* et *gloriam;* quia haec data sit naturae nostrae dignitas, ut ei Divina natura uniri potuerit, quae dignitas frustra ei data esset a Deo, si non peccanti non unita fuisset natura Divina; quia incarnatio Filii Dei egregia est exaltatio naturae nostrae, quam si Deus peccanti modo daret, homo commodum reportaret de malitiâ suâ, quod non reportasset de bonitate, caet. Hujus et aliorum vestigia secutus est, qui idem videtur exprimere voluisse WESSELUS GANSFORT, *De causis incarnationis*, *Opp.* p. 436, primum referens sententiam „ quod Christus fuisset „ incarnatus, etiamsi homo non peccasset," et deinde, quo eam confirmaret, addens, p. 445: „ Sapiens „ sanctae civitatis destinator tantam in civibus unio- „ nem et perfectionem destinaverat," aliaque bene multa. De cujus aliorumque sententiae similis pretio conf. HAGENBACH, *Lehrbuch der Dogmengesch.* § 182. Hos omnes excipit Reformator ANDREAS

OSIANDER, *Epistolâ Andr. Osiandri, in qua confutantur* etc. a. 1549, et disputatione, *An Filius Dei fuerit incarnandus, si peccatum non introivisset in mundum?* a. 1550, hanc ponens et explicans thesin: „Christus cum Ecclesiâ, suâ sponsâ, fuisset una caro „facturus, etiamsi nemo peccasset." Quam Osiandri sententiam refert et enervare conatur CALVINUS, *Instit. Christ. Relig.* L. II, c. 12, § 5—7; etsi idem § 1 agnovisset: „Quamvis ab omni labe integer „stetisset homo, humilior tamen erat ejus conditio, „quam ut sine Mediatore ad Deum penetraret." Neque etiam deinceps illa sententia evanuit. Inprimis eam defenderunt et multis modis explicuerunt Mystici, P. Poiret, Is. Wats, alii, de quibus conf. DORNER, *Lehre von der Person Christi*, p. 230—239. Tale quid etiam obscure sensisse videntur Patres Dordraceni ii, qui *Supralapsarii* sive *Antelapsarii* dicebantur. Distinctius nostrâ aetate idem expressit inprimis SCHLEIERMACHER, statuens, creationem humani generis absolutam demum a Deo esse, cum Filium suum faceret hominem inter homines versantem; quod sic effert, in opere, *Der christliche Glaube*, edit. 2ae T. II, p. 37: „Sein (Filii Dei) eigenthümlicher geistiger „Gehalt kann nicht aus dem Gehalt des menschlichen „Lebenskreises, dem er angehörte, erklärt werden, „sondern nur aus der allgemeine Quelle des geistigen „Lebens durch einen schöpferischen göttlichen Act, „in welchem sich als einem absolut grössten der Begriff des Menschen als Subject des Gottesbewustseins „vollendet." Item audiri meretur, qui Ecclesiae Reformatae orthodoxiam defendere amat, J. J. LE ROY, in opere *Goddelijke Openbaring des Bijbels*, T. II, p. 574, 575, ubi respicit 1 Cor. 15: 39—50, scribens: „Het ligchaam van den mensch, zoo als het thans „is, is niet eerst door de zonde een *natuurlijk ligchaam* „geworden, maar was dat, volgens deszelfs eersten „aanleg; en ook *toen* kon het niet anders, dan door „den Heer uit den hemel, een *geestelijk ligchaam* „worden, waaruit wij met regt mogen afleiden: *dat de* „*komst van* CHRISTUS *in de wereld, in haar geheel genomen, niet eerst tot herstelling van den gevallen mensch*

„*is noodig geworden, schoon dezelve daardoor eene* „*nadere rigting heeft gekregen*, *maar ook zelfs, schoon* „*de zonde niet ware tusschen beiden gekomen*, *zou* „*noodig geweest zijn*, *om den mensch tot de ware on-* „*sterfelijkheid en zijne hoogere bestemming op te leiden:* „maar dan zou niet de dood, veel minder het lijden „van JEZUS zijn noodig geweest, hetwelk alleen tot ver- „zoening der zonde diende. Dit nu te zamen gevoegd „met hetgene wij elders van het Goddelijk plan gezien „hebben, leeren wij ons hetzelve *dus* voorstellen: *dat* „*God*, zonder betrekking op 's menschen „zondigen toestand, *den mensch* boven alle zijne „redelijke schepselen, *tot een voorwerp van zijne* „*bijzondere gunst in zijn eeuwig raadsbeluit gesteld* „*heeft, en wel in* vereeniging met zijnen Zoon, „*die daartoe mensch moest worden*, *als zonder welke* „*vereeniging geen schepsel tot die hooge gemeenschap* „*met God kon worden opgeleid*, waartoe God den „mensch geschikt had, en door welke alleen, ook het „*natuurlijke ligchaam* eerst een *geestelijk ligchaam* „worden kon; doch, dat nu, de zonde zijnde tusschen „beiden gekomen, God niet alleen zijn plan niet heeft „opgegeven, maar dit zelfs tot eene des te luisterrijker „en te schooner uitvoering van hetzelve gediend heeft. „Om nu echter daaruit te besluiten, dat God opzette- „lijk de zonde tot dat einde heeft laten in de wereld „komen, schijnt mij te vermetel toe, en met de vrij- „heid, waarin de mensch geschapen was, strijdig." Quin et videas sententiam eandem adeo per Euangelii naturam providentiaeque Divinae curam se menti humanae facile offerre, ut et mulier cultissima, nec tamen theologice docta, FREDERICA BREMER, eam explicuerit, in opusculo *Morgen-Wachen, Glaubensbekenntniss*, p. 68 scribens: „Gottes persönliche Menschwerdung oder seine „Incarnation ist ein nothwendiges Moment in seinem „Erziehen und Entwickeln der Menschheit, welche „er somit zu den höchsten, geistigen Leben erhebt; „und welches ebenfalls eingetroffen, wäre auch das „menschliche Geschlecht in gerader [unsündlicher] „Richtung fortgegangen, als jetzt, da es sich auf eine „schiefe verirrt hat; nur mit dem Unterschiede, dass

„ sich Gottes Fülle in jenem Falle unter Glückse-
„ ligkeit und nicht unter Leiden offenbart hätte" Praeter haec etiam alia nonnulla loca reperias indicata ab HOFSTEDE DE GROOT, *Waarheid in Liefde*, 1843, IV, p. 729—738.

4. Denique Dei amor prorsus est *ambitu* suo *universalis*, complectens omnis omnino generis, temporis gentisque homines. — Et vero, uti per ipsam rei naturam amoris sui ambitu excludere neminem potest Deus, gratuito justeque amans; ita et talem se in Filio patefecit Pater coelestis.

Ad Jesum Christum suscipiendum, ut vidimus, praeparatae sunt gentes omnes pro ipsarum captu ingenioque. Ipse in his terris cum omnis generis gentisque hominibus lubenter versabatur et genus humanum totum per sese beandum existimabat, Joh. 17: 21. — Ecclesiae autem historia theatrum est hujus universalis amoris splendidum, cum jam magis magisque gentes omnes et in his omnis generis homines in communionem Divinam suscipiantur. Idque est eo etiam excellentius theatrum, quia in hoc cernimus imprimis, non unam modo aliquam formam esse, qua haec religio suscipiatur, sed formas pro gentium, generum, hominum varietate, a Deo creatore iis concessâ, varias, ut liberrima sit formarum differentia in harmoniâ et unitate spiritûs. — Quodsi complures et populi et homines etiamnum conspiciuntur, partim suâ ipsorum culpâ, partim Ecclesiae Christianae, qua Deus effectrice uti vult, negligentiâ, per Christum nondum beati; ipsa tamen hujus Christi missio et per eum institutio talis est, ut cernatur Deus eâ volens et gentes omnino omnes et homines in iis cunctos beare, imo vero etiam in his hominibus facultates viresque plane omnes excolere et perficere. — Hac igitur institutione vere informati Christiani id et agunt et precantur, ut universum genus humanum per Christum Divinitus beetur, habentque ita in suo ipsi animo Paterni amoris imaginem.— Haec omnia si spectamus, apparet, Dei amorem universalem esse adeo, ut ne cogitari quidem magis universalis possit; conf. Col. 3: 11, 1 Cor. 9: 19—22, 1 Tim. 4: 10, conf. c. 2: 4.

Huncce amoris Divini ambitum antiqua jam Ecclesia Christiana prorsus universalem non modo hac in terra viventibus, sed etiam extra Christi cognitionem mortuis hominibus proposuit, docendo, Christum mortuum ad mortuos etiam processisse, ut his Euangelium annuntiaret. Conf. S. K. THODEN VAN VELZEN, *Het Evangelie aan de dooden verkondigd*, *Nijmegen* 1845.

5. Harum proprietatum in Deo perfecta est *harmonia*, propter id ipsum quod in verissimo et summo conspirant amore. — Amor summus et ad gratuito diligendum et ad universos amandos impellit, idemque, cum, ab omni debilitate atque imperfectione immunis, verissimus sit amor, et justus est et sanctissimus. — Neque gratuita illius amoris ratio aut universalitas justitiam ejusdem sanctitatemve impedit; namque gratuito Deus eum ipsum in finem pro suo quemque captu suâque indole vario admodum modo amat, ut omnes ad sanctitatem eâque ipsâ ad summam ducat salutem. Neque justo sanctoque Dei amori satisfacit aliud quidquam, nisi ut justi sanctique reddantur universi (conf. Joh. 17: 11, 17, 19, 1 Joh. 1: 9.); quod ipsum gratuitus et universalis Dei amor postulat atque spectat.

Harmonia talis uti in spiritu perfectissimo requiritur et ex Dei naturâ, amore contentâ, sponte profluit, ita in Dei Filio luculentissime est patefacta.

Est enim et hac in re Patris perfecta imago ipse Filius, Jesus Christus, qui cum gratuito suos elegisset, ut sanctissimos sese praestarent, justissime quidem hosce germanos suos amicos impense prae mundo, ipsum odio persequente, dilexit; sed simul per illorum sanctitatem mundum hunc universum ad fidem sibi habendam intimamque cum Deo conjunctionem ineundam adducere voluit, conf. Joh. 15: 16, 18, 19, c. 17: 9, 16—21. Idem etiam pro infensissimo erga ipsum odio tam parum postulabat sibi satisfactionem dari, ut contra pro inimicis acerbissimis etiam veniam imploraret, iisque ante omnes Euangelium suum annunciari juberet; quippe hoc uno satisfieri amoris sui gratuiti sanctissimique desideriis volebat, ut magis magisque et hos et omnes videret re-

sipiscentes et una cum ipso sancte Deo viventes, vid. Luc. 23: 34, c. 24: 47, Joh. 17: 25 et 20, 21, 23.

Neque minus, quam Filii personâ, opere ipsi demandato Deus Patrem se ostendit perfectum, in quo gratuiti ejusdemque justissimi et sanctissimi erga omnes amoris harmonia est admiranda. Cum enim prae gratuito amore genus humanum, ab ipso aversum, servare atque summopere beare constituisset, misit hunc in finem Filium suum sanctitate perfectum, qui peccato omnes liberaret eosque sanctissime cum Deo reconciliando bearet. Cumque χάριτι suâ peccatorum veniam omnibus confirmare atque hanc omnibus a peccato resipiscentibus concedere vellet, morti adeo, per peccati vim illatae, Filium suum dilectissimum et sanctissimum tradidit, ut *et* a peccato resipiscere, *et* paterno Dei amori confidere, *et* sese Deo sancte consecrare mundus disceret, vid. § 35 n. 3, § 36 n. 1, § 37 n. 1, et conf. Rom. 3: 24—26, c. 6: 1—13. — Quid? quod perpetuo Christi opus eo tendit, ut, regenerati ad Dei similitudinem, Christiani ipsi gratuito omnes, inimicissimos etiam, ament, injurias sine ullâ sibi datâ satisfactione lubenter condonent confitentibus, omnique amoris vi ad ecclesiae humanitatisque sanctitatem et perfectionem efficiendam collaborent; quo ipso his in terris germani Dei filii in semet ipsis gerunt imaginem harmoniae, ex amore ortae, quae in Patre coelesti est perfecta.

Perverse igitur amori Divino ita opponitur justitia, ut dicatur Deus amore quidem genus humanum servare voluisse, sed justitiam ejus exegisse, ut peccati poena solveretur, Christique igitur morte satisfieri debuisse justitiae Divinae, poenas exigenti, ut Dei amor peccata condonare posset; nam sic demum *honorem* Dei vindicari et regni Divini *ordinem* servari. Ita rem proposuit ANSELMUS, *Cur Deus homo?* imprimis L. I, c. 11, 12, non quasi judicaret, Codicis S. auctoritate sic docendum esse, sed quia ratione suà ita philosophandum censebat, sive, ut in Opusculi fine ipse ait, „rationabiliter id se invenisse existimabat.” Hujus de necessaria satisfactione theoriae origo in Anselmo, et hierarchiae Papalis et Ecclesiae, qualis tum erat, vindice

acri, repetenda videtur e consuetudine ipsius tempore jam receptâ, qua pro peccatis in Ecclesiae civitate satisfaciendum erat poenis impositis, ut remitterentur; sic nempe ipse „poenitentiam, cor contritum et humiliatum, abstinentias et multimodos labores corporis", aliaque commemorat, ibid. c. 20. Qua cum consuetudine erat juncta opinio haecce, bonorum operum redundantium meritum, quo quis sibi opus non haberet, in aliorum commodum posse transferri. Itaque mortis Christi indebitae mercedem et retributionem, a Patre ipsi datam, dicit hancce, ut meriti sui participes redderet homines eosque salvaret; sic ratiocinans L. II, c. 19: „Aut quos justius faciat haeredes „debiti" (i. e. mercedis, quam pro merito Pater ipsi debet), „quo ipse non eget, et exundantiae suae „plenitudinis, quam parentes suos et fratres .... „ut iis dimittatur, quod pro peccatis debent, et detur, „quo propter peccatum carent?" Theoriae hujus errorem sentis, si loco imaginis a principibus civitatis eorum temporum Ecclesiasticae, sive, ut ille ait L. I c. 12, „a terrenis Potestatibus," desumtae substituas comparationem patris amantissimi, coelestis Patris naturae convenientissimam et ab ipso Jesu adhibitam. Ejusmodi enim pater de filii deperditi perversitate et miseria gravissime quidem dolet, coll. Luc. 15: 24, sed resipiscenti summâ cum amoris propensione condonat et lubentissime eum ut suum suscipit filium, s. 20 seqq., ita optime in sua domo *ordinem* restitui judicans, licet superbus aliquis filius aliter de patris agendi ratione opinetur, s. 28 seqq. *Honorem* autem suum Pater coelestis in eo ponit, ut amore suo per Christum adducat homines ad amorem factis optimis vitâque omni demonstrandum, vid. Joh. 15: 8. coll. s. 16, 17. Ita, ex vero descriptum, animum consiliumque suum ut Pater coelestis toti generi humano *reapse demonstaret*, atque adeo per fidem, resipiscentiam et sanctitatem omnium salutem *revera efficeret*, Filium suum in mundum misit, conf. § 34—37. Specialiter autem Jesu Christi mors summum est, toti generi humano datum, documentum amoris Divini, et fonte gratuiti, et indole justi peccatumque odio haben-

tis, et directione sancti, conf. § 46, p. 64 seq.; item VAN DER LOEFF, *God, de heilige Vader*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, I; idem, *Gods heiligheid betoond door de openbaring en veroordeeling van der menschen zonde in het lijden en sterven van Jezus Christus*, 1843, III; et VAN OORDT, *Het Evangelie, dat tot zondaren komt, gegrond in de natuur van God en overeenkomende met de natuur des menschen; gedachten over* 1 *Joh.* 1: 9. in *Waarh. in Liefde*, 1839, II. De loco Luc. 15: 18 seqq. conf. PAREAU, ibid. 1843, I.

Illam satisfactionis doctrinam, ab Anselmo expositam, non noverunt Hebraei antiqui, de sacrificiis quidem agentes, verum numquam sumentes, ea afferendo satisfaciendum esse justitiae iraeve Divinae, qualem de Deo opinionem habuissent blasphemiam. Conf. BÄHR, *Symbolik des mos. Cultus*, T. II, p. 277, 278, et A. RUTGERS VAN DER LOEFF, *Over de verzoening der zonden door J. C.*, in *Waarh. in Liefde*, 1843, II. Neque illam doctrinam invenias apud Patres Ecclesiae. CLEMENS ALEXANDRINUS causam mortis Jesu in Deo positam esse negat, Strom. IV, p. 602: Οὔτε ὁ Κύριος θελήματι ἔπαθε τοῦ Πατρὸς οὐθ' οἱ διωκόμενοι βουλήσει τοῦ Θεοῦ διώκονται. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲν ἄνευ θελήματος τοῦ Κυρίου τῶν ὅλων· λείπεται δὴ τὰ τοιαῦτα συμβαίνειν μὴ κωλύσαντος τοῦ Θεοῦ· τοῦτο γὰρ μόνον σώζει καὶ τὴν πρόνοιαν καὶ τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ. Attamen ejus aequalis, IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 18, 7, jam sic philosophice conatus est exponere necessitatem mortis Jesu Christi, ut diceret, hanc Diabolo datam esse redemtionis pretium, de Jesu affirmans: Ἥνωσε τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ· εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησε τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. Verbum quidem *satisfactionis* in theologiam induxit Tertullianus, sed eo sensu, quo Iureconsulti Romani hoc verbo utebantur, ut significarent, si injuria esset illata, desiderium injuriâ affecti impleri ab eo, qui laeserat; v.c. *De patientia*, c. 13: „Sic ille rex Babylonius, offenso „Domino, quum squalore et paedore septenni ab humana „forma exsulasset, immolatâ patientiâ corporis sui, „et regnum recuperavit et, quod optabilius est ho„mini, satis Deo fecit." De Jesu etiam utitur hoc verbo, nec tamen de Jesu morte, *ibid.* c. 3: „Patientia Domini

„ in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii opera „ maledixit in posterum, et sanitatis restitutione ei, „ quam non ipse vexaverat, satis fecit per patien- „ tiam, misericordiae matrem." Illo autem aevo aliquatenus satisfactionem per Jesum mortuum praestitam docere inceperunt nonnulli, nec tamen datam Deo, verum Diabolo. Ita ORIGENES, *In Matth.* 20: 28: Τίνι ἔδωκε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν; οὐ γὰρ δὴ τῷ Θεῷ· μή τι οὖν τῷ Πονηρῷ; Οὗτος γὰρ ἐκράτει ἡμῶν, ἕως δοθῇ τὸ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῷ λύτρον, ἡ τοῦ Ἰησοῦ ψυχή. Idem tamen etiam alibi, *Contra Cels.* I, p. 24, 25 (Spenc.): Ἑκὼν τὸν θάνατον ὑπὲρ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους ἀνεδέξατο, ἀνάλογον τοῖς ἀποθανοῦσιν ὑπὲρ πατρίδων, ἐπὶ τῷ σβέσαι λοιμικὰ κρατήσαντα καταστήματα ἢ αφορίας ἢ δυσπλοίας. Idem, *Exhort. ad Mart.* 50, *Opp.* T I, p. 309: Τάχα δὲ καὶ ὥσπερ τιμίῳ αἵματι τοῦ Ἰησοῦ ἠγοράσθημεν,.... οὕτως τῷ τιμίῳ αἵματι τῶν μαρτύρων ἀγορασθήσονταί τινες. Idem ORIGENES, sed in versione saepe mutatâ modo superstes, explicans Rom. 3: 25, hunc locum sic intellexit: „ Proposuit eum Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, quo scilicet per hostiam sui corporis „ propitium hominibus faceret Deum et per hoc os- „ tenderet justitiam suam. Deus enim justus est et „ justus justificare non poterat injustos; ideo inter- „ ventum voluit esse propitiatoris, ut per ejus fidem „ justificarentur, qui per opera propria justificari non „ poterant." — Certius est, Anselmi theoriae praelusisse Athanasium, florentem saeculo IV, quo multae ideae Ethnicae in Ecclesiam Christianam recipiebantur. Hic enim, *De incarn. verbi* c. 7, 9, monuit, Deum, quippe verum, non potuisse non velle, quin morerentur homines, quum in Paradiso se subjecisset homo peccato, cujus poenam Deus constituerat mortem; nec tamen hanc mortem hominum Deo, quippe bono, fuisse gratam. Jam τὸν Λόγον, videntem, aliter evitari non posse hominum interitum, sibi sumsisse carnem mortalem, qua omnium loco mortem subiret, et ab omnibus interitum removeret resurrectionis suae gratiâ. Ergo hunc Λόγον corpore suo tanquam sacrificio puro explevisse debitum (*Deo?* quod exspectes, an *Diabolo?* imo Athanasius ait:) *Morti* et resurrectione omnes induisse vitâ incorruptibili. E quibus facile conjicias,

Athanasio nondum fuisse certam de Jesu mortis consilio sententiam. Quare et eodem saeculo alius Pater, prae reliquis orthoxus, sine Ecclesiae offensione, palam negare potuit, in Dei aut voluntate aut actione immutandâ causam fuisse, cur Jesus mortem subiret, GREGORIUS NAZIANZ. *Or.* XLII, T. I, p. 691 seq.: *Τίς ὁ λόγος μονογενοῦς αἷμα τέρπειν Πατέρα, ὃς οὐδὲ τὸν Ἰσαὰκ ἐδέξατο παρὰ τοῦ πατρὸς προσφερόμενον, ἀλλ' ἀντηλλάξατο τὴν θυσίαν κριὸν ἀντιδοὺς τοῦ λογικοῦ θύματος; Ἢ δῆλον, ὅτι λαμβάνει μὲν ὁ Πατὴρ, οὐκ αἰτήσας οὐδὲ δεηθεὶς, ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκονομίαν καὶ τὸ χρῆναι ἁγιασθῆναι τῷ ἀνθρωπινῷ τοῦ Θεοῦ τὸν ἄνθρωπον, ἵν' αὐτὸς ἡμᾶς ἐξέληται, τοῦ τυράννου βίᾳ κρατήσας, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐπαναγάγῃ διὰ τοῦ Υἱοῦ μεσιτεύσαντος, καὶ εἰς τιμὴν τοῦ Πατρὸς τοῦτο οἰκονομήσαντος.* Quae sententia, in insigni mortis Jesu Christi vi morali ejus adventûs mortisque causam esse quaerendam, apud Patres regnat. Sic AUGUSTINUS, *De catechis. rudibus*, c. 7: „Quae major causa est adventûs Domini, nisi ut os„tenderet Deus dilectionem suam in nobis, commen„dans eam vehementer, ... ut et nos invicem diliga„mus, ... quoniam prior dilexit nos? .... Nulla est „enim major ad amorem invitatio, quam praevenire „amando, et nimis durus est animus, qui dilectionem „si nolebat impendere, nolit rependere.” Idem, *De agone Christ.* c. 11: „Aeternitas Dei hominem as„sumsit, ... ut disceremus, docente ipso Domino, „infirmitates, quas peccando collegimus, recte faciendo „posse sanari. Ostendebatur enim nobis, ad quam „fragilitatem homo suâ culpâ pervenerit, et ex qua „fragilitate Divino auxilio liberetur. Itaque Filius „Dei hominem assumsit et in illo humana perpessus „est. Haec medicina hominum tanta est, quanta „non potest cogitari. Nam quae superbia potest sanari, „si *humilitate* Filii Dei non sanatur? Quae avaritia „sanari potest, si *paupertate* Filii Dei non sanatur? „Quae iracundia sanari potest, si *patientiâ* Filii Dei „non sanatur? Quae impietas sanari potest, si *charitate* „Filii Dei non sanatur? Postremo, quae timiditas sa„nari potest, si *resurrectione* corporis Christi Domini „non sanatur?” Alia loca citat, qui Patrum antiquissimorum de morte Jesu sententiam accurate persecutus est, BÄHR, *Die Lehre der Kirche vom Tode Jesu in*

den ersten drei Jahrhunderten, Sulzb. 1832. Conf. etiam HAGENBACH, *Lehrb. der Dogmengesch.* § 68, historicae expositioni hoc subjiciens judicium: „Als „Resultat dürfte aus dem Bisherigen in Kürze her-„vorgehen, dass zwar die Kirche ein stellvertreten-„des *Leiden*, nicht aber eine stellvertretende *Genug-„thuung* kannte." Merito ergo Anselmus ipse profitetur, *se* hoc dogma satisfactionis rationabiliter (ratiocinando) *invenisse.* Quum autem nova esset haec theoria, non nisi sensim sensimque a doctoribus Scholasticis, imprimis a Thoma Aquinate et Joh. Duns Scoto, ulterius est exposita, et, repugnante Abaelardo, etiam ab Ecclesiâ recepta. Quum ergo haec vulgaris esset doctrina saeculo XVI, eam etiam hactenus probarunt Reformatores, quatenus illam simpliciter sumserunt esse veram et cum Euangelio congruam, non suspicantes, in Euangelio aliam inveniri de Jesu morte doctrinam. Quare hoc dogma neque emendarunt, neque presserunt, tanquam certum et necessarium; imo MELANTHON in nulla *Locorum theologicorum* editione separatim id tractavit, sed modo occasione fidei justificantis. Vulgo enim tantum hoc consilio ad dogma satisfactionis provocabant, quo unam et perfectam θεανθρώπου satisfactionem opponerent multis humanis satisfactionibus Ecclesiae Romano-Catholicae, justificationem minime efficientibus. Attamen CALVINUS, egregius Sacrae Scripturae interpres, saepe, inprimis in hac explicanda, sensit, id satisfactionis dogma non recte sese habere, etsi nesciret, quomodo in opinionum labyrintho viam rectam inveniret. Nam universe quidem Anselmi de satisfactione theoriam probavit, ubi consulto de ea egit, *Instit. Christ. Relig.* L. II, c. 16, § 2; verum in *Annot.* ad Matth. 9: 6, Joh. 3: 16, 15: 13, Rom. 5: 10, 1 Joh. 4: 10, 2 Cor. 5: 19, caet. talia de nostrâ cum Deo reconciliatione profert, quae cum eâ theoriâ prorsus pugnant, v. c. ad Joh. 15: 13: „Poterat nos Deus verbo aut nutu redi-„mere, nisi aliter *nostrâ causâ* visum esset, ut, „proprio et unigenito Filio non parcens, testatum „faceret in ejus persona, quantam habeat salutis „nostrae curam. Jam vero plus quam ferrea aut „lapidea corda esse oportet, quae non emolliet tam

„incomparabilis *Divini amoris suavitas.*" Conf. *Hoe heeft Calvijn de voldoening geleerd?* in *Waarheid in Liefde*, 1842, IV. Hanc satisfactionem porro rejectam esse a Socinianis, notum est; sed etiam inter Theologos Euangelicos, quorum longe major pars eam acriter tenebat, et, additâ Jesu obedientiâ activâ, ulterius explicabat, haud pauci fuerunt, qui eam rejicerent viri docti, veluti Rationalistae omnes, sed etiam Mystici Conr. Dippel et Imman. Swedenborg, itemque viri docti et pii, Herder, Menken, Klaiber, de quibus conf. HAGENBACH, *Lehrb. der Dogmengesch.* § 296; quibus multi addi possunt, v. c. Lavater et Egeling. Conf. *Oordeelkundig overzigt over de verschillende wijzen, op welke men zich heeft voorgesteld het verband tusschen den dood van J. C. en de zaligheid der menschen*, in opere *Godgel. Bijdragen* 1828, D. II, bl. 485—603. Nostra aetate recte A. SCHWEIZER, *Die Glaubenslehre der evang. reform. Kirche*, II, 2, p. 301, una cum SCHNECKENBURGERO (*Vom doppelten Stande Christi*, in *Theol. Jahrbücher von* ZELLER, 1844, p. 248) perhibet, Reformatae doctrinae, quippe omnia e libera Dei gratia derivanti, consentaneum esse unice, „dass das Satisfactorische in „Christi Leistung sei nicht *causa meritoria*, sondern „nur *instrumentalis* unsers Heils."

§ 48.
Ejusdem actio.

Ut ab omni parte naturae Divinae, quae amore continetur, excellentia perspiciatur, attendendum quoque est ad modum, quo sese patefacit, sive quo agit hic amor.

Tam arcte haec §^us cum proxime antecedenti juncta est, ut quae hîc laudantur, possint etiam considerari tanquam naturae sive indolis Divinae proprietates, prouti quae illic laudatae sunt, in Dei actionibus etiam fiunt conspicuae. Vel sic tamen, quum illic memoratae proprietates magis ipsius sentientis et volentis sint Dei, hae ad eundem agentem unice pertineant, perspicuitatis causa separatim de utrisque agimus.

1. Et primum quidem hujus amoris actio est *sapiens*, optima consilia optimis exsequens mediis. — In Deo, spiritu supremo atque ideo etiam intelligentissimo, sponte

id sequitur ex amore, optima quaeque et volente et optime assequi studente.

Cernitur autem haec Dei sapientia in delectu cum temporis, quo Jesum Christum misit, aptissimi, quippe quo gentes, certe cultiores, et maxime inter se junctae erant et eum capere poterant eoque indigebant; tum populi, in quo eum excitavit, quippe optime per Dei unius veri cognitionem ad id apti paratique; tum regionis, in orbis culti centro sitae; tum conditionis externae contemtae sed aptissimae, qua eum prodire jussit; tum modi, quo misit eum talem, qui non aut rex, aut legislator esset, aut ulla vi externa vel illecebris cogeret adduceretve homines, sed solâ institutione eos erigeret ad Deum. — Haec Dei sapientia cernitur quoque in hoc ipso Dei Filio, Patris imagine; v. c in institutione Apostolorum cum omnium sensim progrediente, tum singulorum singulis ingeniis adaptatâ. Conspicitur item in tota ipsius cum vita sancta, tum morte amore plenissima et reditu in vitam eamque coelestem, utpote consilio, quo missus erat, assequendo aptissimis, conf. § 35, 36. — Denique luculentissime cernitur haec Dei sapientia in Ecclesia Christiana. Et hoc ipsum jam, quod Divinitus Ecclesiam condidit Christus et per hanc homines excolit, sapientiae est Divinae documentum: omnis enim cultus humanus maxime communione et societate efficitur. Neque minus sane sapientiae documentum in hoc est, quod ea Ecclesia societas est pure spiritualis, ad quam ut accedat nemo cogitur, in qua vivens suam quisque ingenii proprietatem privam servat, et in qua per solam veritatis amorisque vim omnium ingenii cultus et animi explicatio ad summum sensim culmen adducitur. Hujus Ecclesiae historia quoque luculentissimum est sapientiae Divinae theatrum. Ea enim condita est primum inter gentes cultissimas, ad eam suscipiendam aptiores. Deinde, cum metuendum esset, ne ad polytheismum ipsa rediret, per Mohammedis in eâ vim id magnopere cautum est. Porro gentes novae Germanicae in eam susceptae sunt etiamnum rudes, quae ab initio inde per eam excolerentur et novam aliquando ei explicationem

afferrent. Cultus etiam et Judaicus et Graeco-Romanus est deletus, ut possent, hoc antiquo cultu non impeditae, gentes praesertim Germanicae eo purius sese excolere. Cumque in his religio Christiana radices egisset, Reformationis tempore et deinceps, tum per hanc ipsam Ecclesiae divisionem tum et per Deistarum saec. XVIII oppositiones, increvit et magis magisque ita sese explicuit Ecclesia Christiana, uti antea nunquam. In his autem plerisque Dei sapientia eo magis elucet, quia ea ipsa, quae videbantur nocitura generi humano, per ipsius providentiam explicationi Ecclesiae atque ideo saluti gentis humanae quam maxime profuerunt. Conf. 1 Corinth. 1: 25 et universe Eph. 3: 10.

2. Deinde haec actio amoris Divini est *omnipotens*, ita quidem ut nullis rebus impediatur omniaque exsequi valeat, quae quidem voluntati ipsius Dei sapienti sanctaeque congruunt. — Ita scilicet Deus, spiritus supremus atque ideo prorsus a nulla re pendens, prae amore suam ipse omnipotentiam libertatemque definit et circumscribit, ut verae bonitatis quasi limitibus contenta dicenda sit potentia vere Divina.

Quomodo omnipotentia Divina cum libertate humana congruat, expositum est ab HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* § XXI, 7, 8; hîc a nobis non exploratur subtilius, cum ad *religionem*, de qua omnis nostra disquisitio Dogmatica agit, sufficiat hoc, quod ex Dei, utpote spiritus supremi ejusque perfectissimi, naturâ aeque atque ex omni in Christo data patefactione sequitur, Deum esse Patrem coelestem omnia exsequi valentem, quae paternae ipsius voluntati sint congrua. Monendum vero, haud paucos etiamnum esse, qui omnipotentiam Dei, ut *naturae infinitae*, ita proponant absolutam, sive hominis a Deo absolutam dependentiam ita doceant, ut hominis vere liberam voluntatem tollant, Deumque exhibeant *μονάρχην omnipotentem*. Cujusmodi placitum videtur ab Aristotele derivandum, qui Deum unice ut *causam physicam supremam* proposuit, et a quo per Scholasticos sententia haec ex Ethnicismo in Christianorum fluxit haesitque philosophiâ, conf. § 43, n. 7, § 46 in annot.

p. 64. Rejici illud placitum a recentissimis etiam quibusdam philosophis purioremque proponi sententiam, qualem nos hîc tuemur, ostendit DE GROOT l. l. Et vero Deum si agnoscas non modo, qualem se in Jesu Christo patefecit, sed etiam qualem nunc quidem eum cogitare potest philosophia ipsa, *naturam infinite perfectam*, in qua summus regnat omniaque regit amor, ipsum imprimis considerabis ut *spiritualem* bonorum omnium *auctorem supremum*, sive, ut in Symbolo, qui dicitur, Apostolico est, τὸν πατέρα παντοκράτορα.

Esse revera omnipotentem, et eo quidem, quo diximus, modo omnipotentem, Divini amoris actionem, cernitur luculenter in apparitione Jesu Christi. In hac enim ipse Jesus conspicitur, etiam modo miraculi pleno, universae naturae imperans, et idem e morte in vitam revocatus et supra potestates omnes in coelum evectus, ut Divinis optimisque exsequendis consiliis inserviat. Idem vero etiam ille Jesus Christus, Dei imago, cernitur, neminem ad resipiscentiam cogens, usque adeo, ut permulti, imo ipse quoque Apostolus electus Judas, ei revera restiterint, et Deus conspicitur sinens, ut mundus perversus Filium quoque rejiceret et cruci affigeret. De his posterioribus conf. Marc. 12: 6, de prioribus illis maxime Ephes. 1: 19 seqq. — Hujus autem ipsius mortis Christi historia, neque minus universa Ecclesiae historia docet, uti jam vidimus, universum generis humani regimen omni tempore in emolumentum Ecclesiae cessisse, et hanc ipsam, non impedientibus obstaculis maximis, per libertatem humanam a Deo nunquam sublatam ei objectis, perpetuo esse progressam. Quoties autem in hac ipsa Ecclesia fuerunt, qui, vel optimo consilio, vim inferre libertati humanae conarentur, hi, moderante Deo, impediverunt magis quam provexerunt Ecclesiae salutem, quam Deus constanter efficit per optimos suos ministros, ipsius spiritu animatos atque ideo per veritatis amorisque vim solam Divinae societati consulentes.

3. Denique haec Divini amoris actio est *perpetua*, ita ut non dicendus sit Deus aut egisse tantummodo ipse in mundi creatione ita, ut cuncta deinceps vi sua se explicarent, aut etiam in Jesu Christi apparitione

terrenâ sic omnia disposuisse, ut deinceps sola per se Ecclesia perficeretur; sed ut modo non interrupto ipse constanter egerit, agat et acturus sit. — Quod nisi ita se haberet, dicendus foret Deus naturam suam, in amore positam, deposuisse, cum amor nunquam aut fatigetur agendo aut requiescere queat.

Huic quoque sententiae oppositum placitum, quo Deus proponitur ab aeterno omnia immutabiliter decrevisse et constituisse, neque igitur in tempore quidquam pro necessitate liberorum hominum disponere atque efficere, repetendum videtur ex antiquorum Ethnicorum de fato sententiâ atque exinde in Christianorum philosophiam et theologiam irrepsisse. Conf. iterum § 43, n. 7. Esse illud sanae philosophiae non consentaneum, ut dicatur Deus extra tempus esse aut tempus in Deum non cadere, significavit J. F. L. SCHRÖDER, *Beschouwing van de waarheid der menschelijke kennis*, in operum serie, *Gedenkschriften van de derde classe van het Koninklijk Nederl. Instituut*, D. V, bl. 304, 446. Qualis vere existimanda sit Dei constantia et immutabilitas, exposuit DE GROOT l. l. § XXIV, 13. Illud Scholasticum, non vere philosophum neque Christianum, placitum rejiciendum esse ad causam religionis et precum imprimis religiosarum vindicandam, indicavit PAREAU, *Inst. Christ. mor.* § XXXV, 11, p. 291 seq.

Esse revera perpetuam Divini amoris actionem, conspicitur in ipsâ Jesu Christi, multis post creatum orbem saeculis effectâ, missione, documento illo semper agentis Dei luculentissimo. — Conspicitur id ipsum in omni deinceps ad hunc usque diem Ecclesiae historiâ, ubique, ut vidimus, Dei potentissime et sapientissime agentis signa referente. — Idem autem, qui sic egit agitque per Jesum Christum perpetuâ amoris vi, eâdem amoris actione ab eo jam inde tempore egit, quo homines creavit aptos ad Divinam illius Jesu Christi institutionem suscipiendam aliquando futuros; nam tota Jesum antecedens historia theatrum est agentis Dei et genus humanum sensim ad eum praeparantis. — Quae cum ita sint, facile vel hinc perspicitur, eundem illum Deum deinceps quoque in sempiternum pariter esse acturum, donec ali-

quando amoris ipsius consilio plene satisfiat, id est, omnes omnino, intime cum ipso et inter se invicem juncti, sint perfecti atque beati. — Vide ipsius Jesu dictum admodum memorabile Joh. 5: 17.

Conf. VAN DER LOEFF, *Eene ontwikkeling van Jezus gezegde*, Joh. 5: 17[a] „mijn Vader werkt tot nu toe," in *Waarheid in Liefde*, 1840, II.

C. Dei opus summum.

§ 49.

Dei opus, nobis cognitum, summum.

Cum jam de Dei operibus agendum sit secundum § 44, facile nunc apparet, Dei opus, nobis quidem hominibus cognitum, summum contineri conservatione, illustratione, institutione, perfectione generis humani per Jesum Christum.

Est id summum cum propterea, quod non ad physica quaedam refertur hoc opus, sed ad superiora, spiritualia; tum ideo, quod in his superioribus non subsistit in aliqua emendatione aut in sola conservatione gentis humanae, sed hanc ad maximam, quae cogitari potest, perfectionem ducit. Ideo quoque Deus hoc opus peragit per providentiae suae ministrum, quem nos cognovimus, omnium perfectissimum et excellentissimum, unicum suum Filium, eumque quam maxime exercitatum atque explicitum, conf. § 37, coll. § 30, 33. Atque sic quoque in opere hoc Deus suum ipsius et Filii sui spiritum communicavit cum genere humano, ut hicce spiritus sanctus, in Ecclesia tanquam Filii corpore sive organo vivens, ipse constanter perfectionem humanam magis efficiat.

D. Conjunctio omnium quae Dei sunt.

§ 50.

Operis illius summi cum reliquis Dei operibus, nobis cognitis, conjunctio.

Illud per Jesum Christum opus separatum non est a reliquis Dei operibus; imo cum illud sit supremum et

quasi culmen constituat, reliqua haec fundamentum illius efficiunt.

Itaque Providentia Dei reliqua, quatenus hominem spectat, est praeparatio ad hoc Providentiae opus supremum, § 38, 39.

Creatio autem, quatenus ad hominem refertur, est illud opus, quo Deus naturam produxit facultatesque necessarias, quibus, per Providentiam ipsius explicitis praeparatisque, aliquando opus illud, per Jesum Christum perficiendum, rite suscipi et ad exitum perduci posset, § 40, conf. Eph. 1: 4, 5.

Igitur in Creatione et Providentiâ Dei reliquâ idem plane Deus est agens, et quidem spiritu agens eodem, qui deinde in Filio luculentissime est patefactus. Quare Apostoli mundum quoque per hunc Dei Filium creatum, et reliquam providentiam Divinam per eundem Dei Filium olim agentem, interdum proposuerunt, Joh. 1: 2, 3, Col. 1: 15—17, Hebr. 1: 2, 3, 1 Petr. 1: 11.

Oportet igitur nos, per perfectissimam in Jesu Christo concessam patefactionem ad plenam Dei cognitionem adductos, agnoscere, non modo generis humani per illum conservationem perfectionemque, sed etiam reliquam providentiae moderationem omnem, imo ipsam quoque creationem esse opus amoris Dei gratuiti, justi, sancti, universalis, ejusque et sapientissime et potentissime et perpetuo agentis, conf. § 46—48. Sic quam majoribus quasi et luculentioribus litteris in perfectissimo Dei opere ubique adspectabilem legimus Divinam naturam, hanc oculis, eo ipso exercitatis, eandem, licet minoribus signis in reliquis Dei operibus pariter conspicuam, cernemus.

Multas de creatione et providentia disquisitiones, v. c. num aeterna sit creatio, quis sit privus creationis characterismus, quomodo cum providentia Dei universali cohaereat libertas humana, quin et de creatione atque universali providentia per se spectatis hîc non agimus, cum non ad *religionem Christianam* pertineant; quare neque de iis egerunt Jesus ejusve Apostoli; egit de iis HOFSTEDE DE GROOT, in *Institutionibus Theologiae naturalis*, § XX, XXI, ubi simul ostenditur, ita, ut hîc diximus, creationem providentiamque Divinam spectari posse.

§ 51.

Conjunctio naturae et operum Dei.

1. Conjunctio, quae nobis in Deum inquirentibus in oculos incurrit, naturam inter et opera Dei ea est, ut illâ perspectâ haec illustrentur aeque atque haec illam patefaciant. Si noveris, Deum totâ suâ indole esse amorem, melius intelliges et creationem et providentiam omnem et generis humani per Jesum Christum conservationem. Et quo haec vicissim magis penitiusque perspicis, eo evidentius cernes Deum esse patrem et institutorem gentis humanae amantissimum.

2. Conjunctio vero etiam in ipso Deo adest naturam ipsius inter et opera, nempe haec, ut talis, qualis ei est, natura non possit non esse talium, qualia ab eo orta sunt, operum causa atque fons. Propter id ipsum, quod amore gratuito infinitoque Deus agitur, ideo et orbem creavit et eum moderatur et genus humanum secum arctissime jungit. Atque haec opera a Deo peraguntur nullâ aliâ de causâ, si quidem ipsum spectemus, nisi ut satisfaciat excellentissimae suae naturae sive amori suo infinito; vid. Rom. 11: 36 et conf. Eph. 1: 6, 11.

Hinc sponte intelligitur, Deum ab eo jam tempore, quo creando genere humano agere nobis quidem hominibus coepit, eo egisse consilio, quod ipsius amori infinito est unice consentaneum, nempe ut hocce genus totum perfectissime secum jungeret; quamvis illud consilium sapienter sensim modo et per gradûs exsecutus sit et pergat exsequi. — Hoc consilium Theologis antiquioribus appellari *decretum* Dei, sive etiam *praedestinatio* solebat. Quare jam liquet, non loquendum esse de praedestinatione et *electionis* et *reprobationis*, sed unice de Divini amoris praedestinatione ad salutem, junctâ cum hujus consilii Divini exsecutione sensim progrediente; quo fere modo Paulus locutus est Eph. 1: 4, 5, 10, 1 Tim. 2: 4 et ad Rom. cap. 11 maxime sect. 25, 26, 32. Conf. omnino Joh. 17: 20, 21, 23.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. Nat.* ed. 3. p. 160 seq. Liquet nos assentiri Synodo Dordrace-

nae, *Canonum* cap. I, § 1—14, praedestinationem, quatenus *electio* est, docenti eamque locis e S. Scriptura confirmanti; non assentiri eidem, § 15 addenti: „Caeterum aeternam et gratuitam hanc Electionis nostrae gratiam eo vel maxime illustrat, nobisque commendat Scriptura Sacra, quod porro testatur, non „omnes homines esse electos, sive in aeterna Dei „Electione praeteritos; quos, scilicet, Deus ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili et immutabili beneplacito decrevit in communi miseria, in quam se „sua culpa praecipitarunt, relinquere, nec salvifica „fide et conversionis gratia donare, sed in viis suis „et sub justo judicio relictos, tandem non tantum „propter infidelitatem, sed etiam caetera omnia peccata, ad declarationem justitiae suae, damnare et „aeternum punire. Atque hoc est decretum *Reprobationis*, quod Deum neutiquam peccati auctorem „(quod cogitatu blasphemum est), sed tremendum, „irreprehensibilem et justum judicem ac vindicem „constituit." Causa, cur non assentiamur, haec est, quod hanc *reprobationem* non testetur Scriptura Sacra, uti ait quidem, sed nullo Scripturae Sacrae loco adducto confirmavit Synodus, quodque ea nobis omnino videtur pugnare cum Scripturae Sacrae doctrina et cum universa Dei indole, qualem in Jesu Christo et in omni rerum natura cernimus. Quod ipse etiam CALVINUS, praedestinationis, in qua etiam reprobatio sit, vindex, ita sensit, ut hanc ipse horreret; his enim utitur verbis, *Instit. Christ. religionis* L. III, c. 23, § 7: „Decretum quidem horribile, fateor." Sed illius reprobationis loco addimus, consilii Divini universalis exsecutionem, sapiente Deo dignam, esse modo sensim progredientem; in eo sequentes Paulum Apostolum et ipsum Jesum, ll. ll. Conf. L. S. P. MEIJBOOM, *De leer der Voorbeschikking, volgens Paulus*, in *Waarh. in Liefde*, 1846, II.

§ 52.

Conjunctio Deum inter et Dei Filium et Dei spiritum.

Superest, ut etiam distincte quaeramus, quaenam

conjunctio intercedat Deum inter et eum, de quo Sect. I. vidimus, Dei Filium, ut et illum Dei spiritum, cujus et ibi § 37 et deinceps saepius jam est facta mentio. De hoc tamen spiritu hic tantum quasi in antecessum universe moneri potest, cum uberius de eo agendi locus postea demum sit futurus.

Deo conjunctio quidem intercedit cum naturis reliquis omnibus, quippe ab ipso originem habentibus. Sed est illa tanto arctior, quanto magis hae naturae Deo homogeneae et indole cognatae sunt.

Itaque, coll. Sect. I, arctissima intercedit conjunctio Deum inter et illam personam, quam nos in Jesu Christo cognovimus. Conjunctio haec ideo merito proponitur sic, ut Deus ipsius *Pater*, ipse autem unicus Dei *Filius* appelletur, coll. § 32. Est ergo Pater ille ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεὸς, ut ipse Filius dicebat Joh. 17: 3, estque εἷς Θεὸς ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, ut Paulus loquebatur 1 Cor. 8: 6; is igitur et dicendus est ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ, uti saepius ab Apostolis, v. c. 2 Cor. 1: 3, Eph. 1: 3, 1 Petr. 1: 3, et ab ipso Filio dictus est Joh. 20: 17, et dici potest etiam κεφαλὴ Χριστοῦ, uti 1 Cor. 11: 3, conf. c. 3: 23. Est igitur non modo Pater Filio μείζων, ut ipse dixit Joh. 14: 28 conf. Marc. 12: 32, de quo loco conf. § 34, p. 40, sed et auctor Filio ut sit (αἴτιος τῷ Υἱῷ τοῦ εἶναι, ut Theophylactus ad Joh. V enuntiavit) est Pater; quare ille dicebat, se vitam suam habere per Patrem, Joh. 5: 26, c. 6: 57, et ab Apostolis μονογενὴς παρὰ πατρὸς et πρωτότοκος πάσης κτίσεως appellatus est, Joh. 1: 14, Col. 1: 15. Hicce autem Filius, qui usque adeo, auctore Deo, Divinae est particeps naturae, ut vel θεὸς merito appelletur, coll. § 32, est τοῦ ἀοράτου Θεοῦ adspectabilis imago, quae et nobis innotuit et a nobis vel cogitari potest, longe omnium perfectissima, Col. 1: 15, Hebr. 1: 3, conf. § 32, 40, et propter id ipsum Divinae providentiae minister est nobis hominibus plane incomparabilis atque unicus, εἷς Κύριος δι' οὗ τὰ πάντα, ut Paulus dicebat 1 Cor. 8: 6, per cujus adeo cognitionem, cum ipsius Dei cognitione arctissime junctam, unice ἡ αἰώνιος

ζωή nobis est, ut ipse dicebat Jesus Christus Joh. 17: 3, coll. 1 Joh. 5: 20. Conf. § 49.

Conf. VAN HERWERDEN, *Als hoedanig maakt Jezus zijne betrekking tot God kenbaar?* in *Waarh. in Liefde*, 1847, II, et HOFSTEDE DE GROOT, *Over de verhouding van Gods Zoon tot den Vader*, ibid. 1848, I.

Quamvis hac quoque in re ex tota patefactione in Christo data sapere ipsi studeamus, quippe qui eandem, quam hîc, Jesu Apostolorumque verbis, designavimus, conjunctionem Deum inter et Filium cernamus etiam patere in factis, maxime in Filii ad Deum fusis precibus, Deoque redditis gratiis et vitâ universâ in Dei honorem directâ, coll. § 30, 32; tamen collatis N. F[is] locis laud. apparet, nos nihil statuere de hac re, quod non ipse Jesus ejusque Apostoli pariter disertis verbis pronuntiarunt. — Quod et hîc et § 32 ad ipsum quoque nomen *Patris* et *Filii* Deo et Jesu Christo inditum consuetum provocamus, jure facimus. Nam e nomine ad rei naturam concludere, tutum quidem non est, si illud forte olim inditum est rei, quae valde immutari potuit, neque si levis aliquis homo nomen illud rei, licet non mutatae, indidit; sed valet omnino ejusmodi conclusio, quando rem, rite sibi cognitam, nomine certo et consueto insignivit homo sapiens et prudens. Jesus igitur, si aequalem se fecisset Deo, hunc *fratrem* appellasset, non *patrem* suum. Itaque, uti nos facimus, ita pariter Filium a Deo ipso distinxerunt haud pauci Theologi omnis aevi excellentes. Nempe post Apostolos uti alia placita, sic etiam hoc de Filii conjunctione cum Patre, ab aliis quidem aliter, et saepe ab iisdem alio loco aliter, est expositum; attamen, quibuscunque epithetis magnificis Christiani Filium extollerent, Patres, qui Orthodoxi sive Catholici habentur, priorum saeculorum constanter etiam Filium Deo summo uno inferiorem praedicarunt, consentiente praeter Haereticos omni Christianorum grege. Exempli causa nonnulla loca e Patribus celebrioribus citabimus.

Haec vero ut rite intelligamus, in antecessum videtur observandum, Ecclesiae Patres cum omni anti-

quitate longe magis indefinite usos esse voce Θεοῦ, quam nos eo utimur. Paulus et Barnabas non modo a Gentilibus habebantur Dii, Act. 14: 11—13; verum Simon Magus a Semi-Christianis „ multis quasi Deus „ glorificatus est," IREN. *Contra Haeres.* I, 23. Quin et Patres Alexandrini non verebantur, verum Christianum dicere θεοειδῆν, θεοείκελον, θεούμενον, θεοποιούμενον, quin et ἐν σαρκὶ περιπολῶντα θεὸν, et simpliciter θεόν. Vide GIESELER, *Lehrbuch der Kirchengesch.* T. 1, § 63, nota 26, p. 330, ed. 4. Quod si tenemus, non inde, quod Dei Filius quoque saepe ab iis *Deus* dicatur, continuo ducemus, eum Patri aequalem esse habitum. Imo eum Patribus Deum quidem, sed Deum alterum, uno Deo summo inferiorem, esse, facile apparebit.

JUSTINUS MARTYR, *Apol.* I, cap. 13: Ἰησοῦν Χριστὸν Υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως Θεοῦ μαθόντες καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες, Πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει ἔχοντες, ὅτι μετὰ Λόγου τιμῶμεν, ἀποδείξομεν. Idem *Apol.* I, cap. 21 τὸν Λόγον dicit πρῶτον γέννημα τοῦ Θεοῦ· ATHENAGORAS, *Apol.* 10 Filium dicit πρῶτον γέννημα τῷ Πατρί. IRENAEUS, *Contra Haeres.* I, 10, 1, tanquam Ecclesiae Catholicae persuasionem, oppositam doctrinae Haereticorum, exponit hanc, qua credit εἰς ἕνα Θεὸν, Πατέρα παντοκράτορα — καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν Υἱὸν Θεοῦ. Itemque alibi, II, 28, 8: „ Si quis „ exquirat causam, propter quam in omnibus Pater „ communicans Filio, solus scire horam et diem a „ Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, „ neque decentiorem, nec sine periculo alteram, quam „ hanc inveniat in praesenti (quoniam enim solus verax „ magister est Dominus), ut dicamus per ipsum, „ super omnia esse Patrem. Etenim, *Pater*, ait, „ *major me est.* Et secundum agnitionem itaque „ praepositus esse Pater annunciatus est a Domino „ nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura hu„ jus mundi sumus, perfectam scientiam et tales „ quaestiones concedamus Deo, et ne forte, quaeren„ tes altitudinem Patris investigare, in tantum peri„ culum incidamus, uti quaeramus, *an super Deum* „ *alter sit Deus.*" TERTULLIANUS, *Adv. Praxean*,

cap. 2, carpit quod ab hoc Praxea, monarchicae haereseos patrono, „ipse Deus, Dominus omnipotens, „Jesus Christus praedicatur;" addens: „Nos vero „unicum quidem Deum credimus; sub hac tamen „dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici „Dei sit et Filius, Sermo ipsius, qui ex ipso processe„rit, per quem omnia facta sunt et sine quo factum „est nihil." Porro denuo a Tertulliano rejicitur opinio haec, „quae se existimat meram veritatem „possidere, dum unicum Deum non alias putat cre„dendum, quam si ipsum eundemque et Patrem et „Filium et Spiritum Sanctum dicat." Cap. 5: „Ante „omnia Deus erat solus." Cap. 6: „Dehinc ipsum „primum protulit Sermonem." Cap. 7: „Qui Filius „Dei dictus est, qui ipse Deus cognominatus est. — „Illam dico personam et illi nomen Filii vindico; „et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo." Cap. 8: „Protulit enim Deus Sermonem; sicut „radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. „Nam et radix et frutex duae res sunt, sed conjunc„tae; et fons et fluvius duae species sunt, sed in„divisae; et sol et radius duae formae sunt, sed co„haerentes." Cap. 9: „Pater tota substantia est, „Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse „profitetur: *quia Pater major me est.* — Sic et Pater „alius a Filio, dum Filio major; dum alius qui ge„nerat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, „alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem „fit." Cap. 13: „Ergo, inquit [Praxeas], si Deus dixit „et Deus fecit, si alius Deus dixit et alius fecit: duo „Dii praedicantur. Si tam durus es, — accipe et „in Psalmo [45: 7, 8] duos Deos dictos. — Ipsum „plus est, quod in Euangelio totidem invenies: *In „principio erat sermo, et sermo erat apud Deum, et Deus „erat sermo.* Unus, qui erat, et alius, penes quem erat. — „Ergo, inquit [Praxeas], provocabo te, ut hodie quoque „ex auctoritate istarum scripturarum constanter duos „Deos — praedices. Absit! Apostolum sequar, ut si „pariter nominandi fuerunt Pater et Filius, *Deum* Pa„trem appellem et Jesum Christum *Dominum* nominem. „Solum autem Christum potero *Deum* dicere, sicut item

„Apostolus: *Ex quibus Christus, qui est*, inquit, „*Deus super omnia benedictus in aevum omne.* Nam „et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem „nominans, cujus est radius, non statim et radium „solem appellabo." Cap. 21: „*Hic* ergo factus est „caro, non *ipse*, cujus erat Sermo; hujus gloria visa „est tanquam unici *a Patre*, non tanquam *Patris*. „*Hic* unius sinum Patris disseruit, non sinum suum „*Pater*. Praecedit enim: *Deum nemo vidit unquam.* „Inde etsi *agnus Dei* a Johanne designatur, non „*ipse*, cujus est dilectus. Certe *Filius* Dei semper, „sed non ipse, cujus est Filius." Cap. 22 porro, interpretans illud a Jesu dictum, *Ego et Pater unum sumus*, adjicit: „*Unum* dicit neutrali verbo; quod „non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, „ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem „Patris, qui Filium diligit, et ad obsequium Filii, „qui voluntati Patris obsequitur." Cap. 26: „Sermo „Dei non est ipse, cujus est. — Sermo [dicitur] „Deus, quia ex Deo, non tamen ipse, ex quo est. — „Patrem et ipse adorat, — ignorans et ipse diem „et horam ultimam, soli Patri notam." Cap. 31: „Caeterum Judaicae fidei ista res, sic unum Deum „credere, ut Filium annumerare ei nolis. — Nos credimus testimonium Dei, quo testatus est de Filio „suo. *Qui Filium non habet, nec vitam habet.* Non „habet autem Filium, qui eum alium, quam Filium „credit." CLEMENS ALEX., *Strom.*, VI, p. 644: „῝Εν μὲν τὸ ἀγέννητον, ὁ παντοκράτωρ Θεός· ἓν δὲ καὶ τὸ „προγεννηθὲν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. Hinc etiam Dei Filius ei est (*Quis divus salvetur*, § 12) ἡ καινὴ κτίσις ac (*Strom.* V, p. 591) πρωτόκτιστος σοφία. Natura vero Filii est (*Strom.* VII, p. 701) ἡ τῷ μόνῳ Παντοκράτορι προσεχεστάτη. Est igitur Filius omnium rerum (*Strom.* VII, p. 708) τὸ δεύτερον αἴτιον. ORIGENES, *De Princip.* I, 3, 5: Ἐλάττων πρὸς τὸν Πατέρα ὁ Υἱός· δεύτερος γάρ ἐστι τοῦ Πατρός. Ibid. I, 2, 13: Εἰκὼν ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ἀλλ' οὐκ αὐτοαγαθόν. Idem *Comm. in Joh.*, rite observat, initio Euangelii Johannei τὸν Λόγον dici quidem Θεὸν, non vero τὸν Θεὸν, sic enim dici solum eum verum Deum, qui αὐτόθεος est. Idem *Contra*

Celsum, VIII, p. 387: Ἔστω δὲ, τινὰς, ὡς ἐν πλήθει πιστευόντων καὶ δεχομένων διαφωνίαν, διὰ τὴν προπέτειαν ὑποτίθεσθαι, τὸν Σωτῆρα εἶναι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεόν· ἀλλ' οὔτιγε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι, ὁ Πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστίν. Unde ibidem V, p. 258 dicitur δεύτερος Θεός. DIONYSIUS ALEX., fatente ATHANASIO, *Ep. de Dionys. Alex.* c. 4: Φασὶ τὸν μακάριον Διονύσιον εἰρηκέναι, ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατ' οὐσίαν εἶναι τοῦ Πατρός· ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τό σκάφος· καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὢν, οὐκ ἦν πρὶν γένηται. LACTANTIUS, *Div. Inst.* V, 13: „Summus Deus „ac parens omnium cum religionem suam trans- „ferre voluisset, doctorem justitiae misit e coe- „lo, — qui factus est Dei Filius per spiritum et „hominis per carnem, id est, et Deus et homo." Cap 14: Deus enim quum videret malitiam et falsorum „Deorum cultus per orbem terrae invaluisse, ut jam „nomen ejus ex hominum memoria pene fuisset subla- „tum, Filium suum, principem Angelorum legavit „ad homines, ut eos converteret ab impiis et vanis cul- „tibus ad cognoscendum et colendum verum Deum; „item ut eorem mentes a stultitia ad sapientiam, „ab iniquitate ad justitiae opera traduceret. Hae sunt „viae Dei, in quibus ambulare eum praecepit; haec „praecepta, quae servanda mandavit. Ille vero exhi- „buit Deo fidem; docuit enim, quod unus Deus sit, „eumque solum coli oportere; nec unquam se Deum „esse dixit, quia non servasset fidem, si, missus, „ut Deos tolleret et unum assereret, induceret alium „praeter unum." Hinc EUSEBIUS, paulo ante lites Arianas, initio *Historiae Ecclesiasticae*, I, 2, ubi de Ecclesia agit ejusque auctore, tanquam e communi Christianorum consensu hunc describere potuit Θεὸν Λόγον — πρὸ πάσης κτίσεως καὶ δημιουργίας ὁρωμένης τε καὶ ἀοράτου τὸ πρῶτον καὶ μόνον τοῦ Θεοῦ γέννημα, — τὸν δεύτερον μετὰ τὸν Πατέρα τῶν ὅλων αἴτιον. Idemque sub ejusdem *Historiae* finem, X, 4, ubi gratiae in conventu magno Laicorum et Clericorum aguntur, quod Constantini tempore cessaverint vexationes, referre potuit his gratiis agendis celebratum esse primum honorem Dei τοῦ παναγάθου καὶ παμβασιλέως, deinde

laudibus ornatum esse τὸν τῶν ἀγαθῶν δεύτερον αἴτιον — Ἰησοῦν. Quo loco et deinde distinguitur inter ἕνα μόνον Θεὸν τὸν κοινὸν ἁπάντων εὐεργέτην et Χριστὸν τοῦ Θεοῦ παῖδα παμβασιλέα τῶν ὅλων. Multaque similia ex EUSEBIO loca citavit D. PETAVIUS, l. mox l., T. II, L. I, cap. 11 et 12.

Nimirum usque ad Concilium Nicaenum a. 325 habitum damnati erant a Catholicis cum ii, qui Jesum habebant nudum hominem, tum hi, qui eum a Deo uno supremo non distinguebant; contra quos posteriores a Concilio Antiocheno a 269 constituebatur, μὴ εἶναι ὁμοούσιον τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τῷ Πατρί· Vide GIESELER, *Lehrb. der Kirchengesch.*, T. I, P. I, ed. 4, p. 302, 303. At opinio, antea haeretica habita, probata est tanquam orthodoxa a Concilio Nicaeno, statuente, Filium Dei esse ὁμοούσιον τῷ Πατρί. Immutatio doctrinae Ecclesiasticae, inde ab hoc Concilio orta, tanta est, ut ipse Dion. Petavius ingenue eam agnoverit. Hic enim, doctissimus dogmatum eorumque historiae enarrator, in opere palmario *De Dogmatibus Theologicis*, suam ante omnia professus est persuasionem hanc, „fidei et professionis ejus, qua Christiani „sumus, caput esse, unius summi Dei in essentia „unitatem et in personis differentiam," vide Tomi II Praef. cap. I, § 1; nec tamen dissimulavit, ab hoc capite multum abesse et Sacram Scripturam et Patres, qui ante Concilium Nicaenum floruerunt, diserte v. c. haec scribens de Patribus nonnullis: L. II, c. 3: „Justinus Martyr minorem Patre „Filium posuit, non solum quatenus hominem se „fecit, sed etiam divinitate, et antequam se carne „vestiret." Cap. 5: „Tertullianus imprimis de Filio „Dei ac Verbo cum Justino paria profitetur. — „Lactantius a Tertulliani opinione non discrepat." Itemque similia multa de Patribus aliis. Quare coactus est confiteri, hoc Trinitatis dogma, deinde sancitum, prouti alia „fidei Catholicae decreta non „expressâ tantum litterarum sacrarum mentione niti; „sed etiam traditione, quae dupliciter valet, aut ad „eorum, quae nullo modo scripta sunt, conservan„dam ac propagandam memoriam, aut ad scripto-

„ rum explanandam sententiam." Vide Tomi II Praef. c. I, § 3. Addit § 4: „ Igitur, praeter scripturas, „ per traditionis lineam ac seriem, ab Christo et Apos-„ tolis, cum generatim totius fidei capita, tum hujus, „ de quo agimus, Trinitatis dogma perductum." Subjungit § 8: „ Hoc demonstrare volumus, quemad-„ modum in asserenda Trinitatis professione ad fontem „ recurramus, id est *ad Apostolicam traditionem.*" § 9: „ Sic Johannes Philoponus ajebat, quaedam in Ec-„ clesia recepta vulgataque esse dogmata, quae in „ scriptura non extant; quatenus ex notis et expressis „ argumentatione nituntur." § 11: „ Ad interpretandi „ magistram eundum erit, Ecclesiam Catholicam." Idemque paulo post, cap. III, § 5, diserte indicat in lite contra Arium actâ hoc dogma demum esse ortum, scribens: „ *Athanasio* magno prae ceteris Patribus „ exquisita et liquida *Catholici* de Trinitate dogmatis „ intelligentia *concessa Divinitus* videtur."

Neque tamen ipsum hoc Concilium Nicaenum commiscuit Filium et Patrem; imo diserte statuit: *Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, Πατέρα παντοκράτορα, πάντων τε ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, κ. τ. λ.* Vel sic tamen illud praedicatum, eum esse *ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ*, ita deinceps ab Athanasio, patre orthodoxias, Filium dicente Patri *ἰσότιμον καὶ ἰσόδοξον, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, παντοκράτορα ἐκ παντοκράτορος*, itemque ab aliis est pressum et explicitum, ac reliquis praedicatis neglectis solum a Christianis laudatum et adauctum, ut tandem seculo V vel VI oriri posset symbolum Pseudo-Athanasianum, incipiens, „ Quicunque vult salvus esse" caet., ac constituens: „ Fides Catholica haec est, ut unum Deum in „ Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur." Nimirum quum ritus et placita Judaeorum ac Gentilium in Ecclesia Christiana praevaluissent, etiam in modo, quo Deum sibi proponebant, antiquatam reduxerunt opinionem, ideoque Divinam naturam sibi cogitarunt, ut Judaei, *unam*, ut Gentiles, *inter plures divisam*; quare et multi non Filium modo et Spiritum Deo adjunxerunt, sed etiam Mariam ac Sanctorum cohortem; sed plerique vel sic Trinitatem Divinam in religionis

Christianae doctrina tenuerunt, quia ei cogitandae assuefacti erant per Neoplatonicos, naturae Divinae Trinitatem docentes. Quae Dei proponendi ratio eo magis invaluit, quo severius plerique, qui ab ea recedebant, poenis corporeis, quin et ipsa morte, puniebantur. Cujus puniendi methodi exemplum jam dederat Constantinus, quod secuti sunt cum alii, tum imprimis Theodosius I, auctoritate suâ jubens, a. 380, *Codex Theod.* XVI, 1, 2, „ut Patris et Filii et „Spiritûs Sancti *unam* Deitatem sub *parili* majestate „et sub pia *Trinitate* credamus." Quibus verbis addidit: „Hanc legem sequentes Christianorum Catho„licorum nomen jubemus amplecti, reliquos vero, „dementes vesanosque judicantes, haeretici dogmatis „infamiam sustinere, nec conciliabula eorum Ecclesi„arum nomen accipere, divinâ primum vindictâ, post „etiam motûs nostri, quem ex coelesti arbitrio sum„serimus, ultione plectendos." Quam sententiam a. 381 Concilio oecumenico Constantinopolitano confirmandam curavit. Igitur abhinc Christiani per multa saecula putarunt, primarium esse religionis Christianae placitum, unum esse Deum, in cujus substantia tres sint personae, sibi invicem prorsus aequales; vel sic tamen hoc ipsum tollentes, siquidem omni aevo adderent, Patrem esse *principium* personarum caeterarum. Vehementer tamen conquesti sunt viri orthodoxi, sed etiam pii, veluti Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, alii, quod ita mente et ore de his placitis disputarent plerique, ut verae animi religionis obliviscerentur. Tandem, quum saeculo XVI Ecclesia emendaretur, nonnulli cordatiores homines eas de Filio Dei ipso Deo opiniones, quas vulgus tenebat, aut praeterire aut emendare conabantur; prouti MELANTHON, primus Dogmatices Christianae inter Euangelicos auctor, qui in prima *Locorum Theologicorum* editione neque de Trinitate, neque de duabus Christi naturis, neque de Spiritus Sancti persona similibusve dogmatibus vel verbulo egit. Etenim in ipso editionis primae *Locorum* initio, „Quaeso te, inquit, „quid adsecuti sunt jam tot saeculis scho„lastici Theologistae, cum in his locis solis versaren-

„tur? Nonne in disceptationibus suis vani facti sunt? „Et dissimulari eorum stultitia posset, nisi Euange„lium interim et beneficia Christi obscurassent nobis „illae stultae disputationes." Attamen deinde cogebatur de Trinitate agere; nec vero sic egit, quin mox a Lutheranis multis ideo haereseos accusaretur. Sic etiam CALVINUS et BEZA haud pauca de hoc dogmate posuerunt, quae ejus formae orthodoxae habitae contraria esse convincit PETAVIUS l. l. T. II, Lib. III, cap. 3, 4, 8, L. VI, cap. 11, L. VIII, cap. 8. Sed postquam Michaël Servetus vel ab ipsis Protestantibus esset crematus, tanquam blasphemus, quia Filium non habebat ipsum Deum, atque Unitarii omnes itidem tanquam blasphemi a magistratu regionum fere omnium, Euangelicarum quoque, vel exsularentur vel et gravioribus poenis afficerentur, pauci modo ausi sunt ad antiquissimam Ecclesiae de Filio sententiam palam redire. Redierunt autem eo sensim plures, quo magis magistratus civilis a dijudicandis hominum mentibus animisque desistere incepit. Primi hoc egerunt Remonstrantes, e quibus EPISCOPIUS, *Instit. Theol.* IV, 2, 32, et LIMBORCH, *Theol. Christ.* II, 17, 25, subordinationem in natura Divina esse diserte docent, ita ut Pater Filio sit superior. In his etiam est Herm. Alex. Roëllius, Theologus primum Franequeranus, deinde Ultrajectinus, quatenus hic, ad finem saeculi XVII de aeterna Filii generatione dubia movens, existimabat „nullam generationem proprie sic dictam concipi posse, in qua non sit transitus a non esse ad esse; personam gignentem non posse non ut tempore priorem concipi genitâ; personam porro gignentem non posse nisi ceu genitae caussam spectari, adeoque genitam e gignente pendere; fieri denique non posse, quin major in gignente, quam in genita sit perfectio." V. MUNTINGHE, *Theol. Christ.* T. II, p. 178, 179. Quod placitum, a nonnullis quidem damnatum, multis ita congruere videbatur religioni Christianae, hujusque in Ecclesia Reformata professioni, ut haud impediretur Roëllius, quominus publice Theologiam in hac Ecclesia doceret. Longe vero maxime hanc sententiam, quam et Codici Sacro

et universae Ecclesiae antiquae communem esse ostendebat, propagavit SAMUEL CLARKE, libro celeberrimo a. 1712 primum edito, *The Scripture Doctrine of Trinity*, de cujus libri placitis DOEDERLEIN, ipse ea haud probans, haec dicit, *Institutio Theol. Christ.* T. I, § 116, obs. 4: „Haec placita, quae a dictionis „simplicitate, a modestia, a facilitate interpretatio-„nis, a suffragiis Christianae antiquitatis tantam com-„mendationem tantamque speciem habent, haud miror „magnis placuisse viris — ac — ipsam doctrinam „Angliae publicam velut ariete quodam concussisse." Neque Angliae modo doctrinam concussit, verum Europae Euangelicae pene totius. Nam abhinc sensim plures ad sententiam antiquam redierunt, non modo Rationalistae omnes, verum et multi Supranaturalistae. Etenim non dissimiles Clarkianae doctrinae sunt de Filio Dei sententiae virorum, qui Patrum memoriâ et hac nostrâ aetate floruerunt, religionis Christianae et studio et cognitione excellentissimorum. Sic V. C. MUNTINGHE, *Theol. Christ.* T. I, p. 145, etsi caeteroquin Filium tanquam vere Deum agnoscens, tamen una cum MORO, *Epitome Theol. Christ.* p. 63, profitetur, „Filium, qui ad „naturae divinae vim majestatemque Patri par sit, „ea, quae habeat, per Patrem habere, et quae det „agatque, ea Patrem per eum dare atque agere; „unde et Filius omnia, quae habet, dat agitque, „ad Patrem refert referuntque eodem Apostoli." Quae omnia multis Scripturae Sacrae locis comprobat. Distinctius Filium Patri subordinavit JOH. JAC. HESS, e cujus scriptis historicis certam hac de re sententiam liquido derivavit H. ESCHER, *Schets van het leven en de gevoelens van J. J. Hess, Theol. Doct. en Antistes te Zürich*, p. 64—70. Magis etiam digna sunt, quae omnium animis insculpentur, verba senis J. F. W. JERUSALEM, *Fortgesetzte Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion*, *Nachgelassene Schriften*, T. I, p. 127, 132, 136, *Dritte Betr.* initio, dicentis: „Wie traurig ist es, dass man „durch die Behauptung von theologischen Bestimmun-„gen und Hypothesen, noch immer so viele gute Men-

„schen von dem Bekenntniss Jesu abhält, sie zu „Feinden des Evangelii macht, und die wohlthätige „Annahme und Verbreitung desselben dadurch so sehr „hindert. -- Mein ganzer Wunsch ist nur der, dass „man diese Bestimmungen nicht zu den wesentlichen „Grundkenntnisse des Christenthums mache. — Sollten „wir aber deswegen nicht wünschen, endlich einmal „einige wesentliche Grundbegriffe auszumachen, worin „alle diejenigen die Jesum für den eingebornen Sohn „Gottes bekennen, übereinkämen, und die sie alle als „das Fundament ihres gemeinschaftlichen Bekennt„nisses annähmen?" Quibus similibusque monitis disquisitionem ipsam sic incipit p. 139: „Die natürlich„ste Untersuchung ist hier zuförderst diese: Wie Jesus „sein Verhältniss mit Gott selbst erkläret; und diese „Erklärung ist durch und durch so bestimmt und „deutlich, dass es nicht möglich ist, sich dies Ver„hältniss anders, als wie er es angiebt, auszulegen. „Der Ausspruch: Joh. XVII. 3 enthält den Inbegriff „der ganzen seligmachenden Religion. Der Vater „allein der wahrhaftige Gott, Jesus der Gesandte „Gottes. Dies ist das erste Glaubensbekenntniss, wor„auf Jesus und seine Apostel die Menschen als Be„kenner und Jünger annehmen. Und o! wie glück„lich wäre die Welt gewesen, wenn sie diesem sim„plen Glaubensbekenntnisse treu geblieben wäre!"

In patria nostrâ, tandem, missis distinctionibus et definitionibus Ecclesiasticis, ad simplicitatem Novi Foederis in hoc dogmate exponendo redierunt Theologi, postquam Sacrae Scripturae interpres egregius J. HERINGA, eam strenue vindicaverat opusculis polemicis *Afgeperste verdediging*, ejusque *Vervolg*, et *Tweede Vervolg*, *Utr.* 1803, 1804.

Nos hac virorum eximiorum auctoritate munire volebamus doctrinam simplicem nostram, quippe quam, uti Jerusalem, inprimis ideo dilucide exponendam censebamus, ne homines intelligentiores a religione Christiana deterreantur.

Praeter alia vero loca, de quibus vel hac §° vel § 32 satis dixisse nobis videmur, obstare huic sententiae a nonnullis dicitur 1 Joh. 5: 20, ibi

οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς referentibus ad proxime praecedens nomen Ἰησοῦ Χριστῷ. Sed pronomen οὗτος referri *posse* ad Deum, cujus mentio antecessit, liquet e similibus locis 1 Joh. 2: 22, 2 Joh. 7, Act. 4: 11. Conf. WINER, *Sprachidiom des N. T.*, p. 149. Referri autem ad Deum, Patrem, *debere*, ex oratione contexta constat, itemque ex eo liquet, quod Johannes, qui ipsa Magistri verba, imprimis ultimâ vitae mortalis vesperâ prolata, adhibere amat, sine dubio hîc respexit ipsius Jesu dictum, Joh. 17: 3. Caeterum de talium locorum interpretatione legi meretur *Andwoord aan Mr.* I. DA COSTA, *Leid.* 1843.

Hic Dei Filius nunc quidem non amplius in his terris adspectabilis est, neque oculis adspici Deus ipse potest. Sed Filius ille spiritum suum, ut sui quasi vicarium, in suorum sectatorum communione perpetuo futurum promisit, Joh. 14—17 praesertim c. 14: 17, et eum ita dedit Ecclesiae, ut haec jam perpetuo corpus sit, ipsius, ut capitis, spiritu animatum, 1 Cor. 12: 4 seqq., Eph. 4: 3 seqq., conf. § 35—37, 48. De hac re postea uberius erit agendum.

Nunc vero hoc monemus. Hicce Filii spiritus est ipsius Patris Dei spiritus, a quo ille eum accepit, quoque adeo auctore eum Ecclesiae suae indidit, Joh. 6: 57, c. 14: 16, 26, Act. 2: 33, conf. § 34. Quare ille Dei spiritus, sive vis illa Dei Divinam vitam maximeque amorem Divinum cum aliis communicans, in reliquo mundo et reliqua historia ubique quidem sese ostendit, sed in Ecclesia Jesu Christi omnium perfectissime perpetuo sese patefacit, coll. § 40, 50.

Num spiritus sanctus persona sit, nec ne, et quomodo haec dictio intelligenda sit, quaestio est mere exegetica. Spiritus autem sanctus sive spiritus Dei, רוה a *spirando*, πνεῦμα a πνέω *spiro*, Hebraeis proprie est *halitus Dei ore proflatus*, Ps. 33: 6, ideoque tropice *vita Dei;* hanc Deus cum homine communicat, quasi *eam inspirando*, Gen. 2: 7, id est, volente et agente Deo vita Divina homini quoque inest. Pariter rem sibi proponebat Jesus, coll. Joh. 20: 22.

Hanc igitur vim vitamque Divinam, Deo agente homini insitam futuram, Jesus, variis imaginibus designabat pro opportunitatum varietate, et mox illum spiritum dicebat suis fore veluti *os et sapientiam*, mox *vim coelitus praebendam*, mox quasi *fontem aquae viventis ipsis insitum*, mox etiam, imagine a semet adjutore suorum jamjam abituro desumta, quasi *alterum adjutorem*, Luc. 21: 15, c. 24: 49, Joh. 7: 37—39, c. 14: 16, 17. Est igitur neque indoles sancta, hominibus insita, modo per se spectata, neque tantum Deo insita vis agens, sed est *vita Divina, quae volente et agente Deo per Christum cum hominibus ita communicatur ut his quoque ipsis insit*, conf. Joh. 6: 57. Neve existimetur obstare ejusmodi interpretationi locus Matth. 28: 19, utpote quo *nomen* spiritûs Divini ferre debere dicantur Christiani aeque ac nomen Patris et Filii, ideoque ille habendus sit persona aliqua his, personis, similis; conferendus est omnino locus Apocal. 3: 12, ubi iisdem Christianis quasi inscribendum dicitur *nomen Dei*, *nomen Christi et nomen ecclesiae Divinae*, quae est Dei Christique spiritu animata.

Hanc de spiritu Divino sententiam non infringit, quod Joh. 14—16 tanquam persona proponatur; etenim saepe res et affectiones in N. T. tanquam personae occurrunt, veluti νόμος, ἁμαρτία, θάνατος, δικαιοσύνη, quae interdum vel loquentes inducuntur, uti σοφία, Luc. 11: 49, δικαιοσύνη Rom. 10: 6—8. Unde jam liquet, etiam quae de spiritu Joh. 14—16 tanquam persona dicuntur, *posse* sic intelligi; quod *necesse* esse ut fiat, liquet e coll cap. 17, ubi Jesus sine ullis loquitur figuris, de Patre autem, de se, de Apostolis, de hominibus agit personis, non item de spiritu, qui quid sit indicat c. 17: 21. Attamen sapienter paulo ante de spiritu, quasi persona, locutus erat, ut nempe hac imagine doceret Apostolos, spiritus vim et efficaciam magni facere. Quare et ipse tum se adhuc imaginibus usum esse, dicit c. 16: 25. Cf. PAREAU, *Aanwijzing van het verschil tusschen Jezus en Johannes*, in *Waarh. in Liefde*, 1847, III, p. 495—501.

Haec de spiritu Divino cogitandi ratio antiquitati Christianae etiam communis erat, quod est notissimum; unde HIPPOLYTUS, *Contra Noëtum*, c. 14, scribere potuit, omnibus Catholicis assentientibus: *Δύο μὲν οὐκ ἐρῶ Θεοὺς, ἀλλ' ἕνα, πρόσωπα δὲ δύο, οἰκονομίαν δὲ τρίτην, τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Πατὴρ μὲν γὰρ εἷς, πρόσωπα δὲ δύο, ὅτι καὶ ὁ Υἱός· τὸ δὲ τρίτον τὸ ἅγιον πνεῦμα.* Quare etiam quum lites Arianae jam agitari incepissent, haec monere non dubitavit Pater orthodoxus HILARIUS, *De Trinitate*, II, 1: „Compelli„mur haereticorum et blasphemantium vitiis illicita „agere, ardua pandere, ineffabilia eloqui, incon„cessa praesumere. Et cum sola fide expleri quae „praecepta sunt oporteret, *adorare* scilicet *Patrem* „*et venerari cum eo Filium*, *sancto spiritu abundare*; „cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quae „inenarrabilia sunt, extendere, et in vitium vitio co„arctamur alieno; ut quae religione mentium con„tineri oportuisset, nunc in periculum humani eloquii „proferantur."

Magnam autem hujus doctrinae, secundum N. T. expositae, praestantiam et vim esse, rite indicavit J. H. SCHOLTEN, *De leer des Vaders, des Zoons en des Heiligen Geestes*, in opere, *Jaarboeken voor wetenschapp. Theologie*, T. II, P. II, p. 235—334.

E. CONCLUSIO THEOLOGIAE.

§ 53.

Quis igitur est Deus?

1. Vidimus ergo Deum esse spiritum supremum, cum rerum tum et spirituum omnium auctorem atque moderatorem, eumque unum, § 45. Itaque cum Jesu Christo dicendum: *πνεῦμα ὁ Θεὸς*, Joh. 4: 24.

2. Vidimus vero praesertim, quod in religionis causa gravissimum est, Deum illum naturâ suâ totâ esse amorem eumque excellentissimum perfectissimumque, § 46—48. Ergo cum Jesu Christo appellandus est *ὁ πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὁ τέλειος*, Matth. 5: 45, 48, et cum Johanne dicendus est esse *ἀγάπη*, 1 Joh. 4: 8.

3. Cum autem in Deo illo sic optima quaeque veris-

sime adsint, sitque ille, prae amore maxime suo, verissimum omnis pulcri bonique exemplar, apparet in illo conjunctam esse spiritualium bonorum omnium veritatem. Dici igitur meretur, ut Johannes dixit, esse *φῶς* 1 Joh. 1: 5 sive *ἡ ἀλήθεια*, uti et ipsius imago perfecta Jesus Christus semet ipse dixit Joh. 14: 6 coll. 9.

Conf. L. G. PAREAU, *Beantwoording der vraag: Hoe schetst Johannes het wezen van God?* in *Waarheid in Liefde*, 1844, III.

4. Ut paucis comprehendamus: Deus est spiritus unus verissime perfectus, omnium rerum auctor supremus, generis totius humani amantissimus institutor atque pater. — Ille igitur unus uti rerum omnium *causa* est, ita et spirituum omnium, quos ipse, *spiritus supremus*, naturae suae creavit participes, ut cum ipso libere conjuncti bene beateque vivant; disjunctos vero etiam *Pater* naturâ suâ, id est infinito suo perfectissimoque *amore* secum intime conjungere cunctos vult, ut una omnes cum ipso et secum invicem optime beatissimeque vivant, ad similitudinem ipsius perfecti Patris, qui *verissimum* est *boni exemplar:* ut cuncti ejus filii *τέλειοι* sint, *ὥσπερ ὁ πατὴρ τέλειός ἐστι*, atque ita fiat *ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι*, Matth. 5: 48, 1 Cor. 15: 28.

5. Deus ergo, coll. 52, uti sese perfectissime patefecit in Filio suo Jesu Christo, qui erat *πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας*, Joh. 1: 14, ita, quo magis per huncce ab omnibus *ἐν πνεύματι* colitur, eo magis in hisce quoque patefit perpetuo *τῷ πνεύματι τῆς ἀληθείας καὶ τῆς ἀγάπης*, 1 Joh. 4: 6, 12, 13.

PARTIS PRIORIS

SIVE

DOGMATICES

SECTIO III.

ANTHROPOLOGIA.

A. Praeparatio.

§ 54.

Homo undenam nobis sit cognoscendus.

Ex ordine, § 20 constituto jam sequi Anthropologia Christiana debet, sive disquisitio de homine, religionis subjecto.

Homo autem universe cognosci jam potest ex sui observatione et ex historia generis humani. Sed in Dogmatica Christiana, coll. § 19, omnia e Christo petenda sunt.

1. Homo igitur nobis praecipue est cognoscendus ex Jesu Christo ejusque historia. Est autem ille perfectus homo, § 27—29, hominumque reliquorum omnium dux § 34; atque ex ejus ideo personâ atque opere hominis cum natura optime perspici tum destinatio luculentissime cerni potest. Cumque ille ita ad eandem, quam ipse habet, perfectionem omnes adducere velit; *et* ex ejus persona hominumque cum eo comparatione, qua hi ei multum dissimiles reperiuntur, *et* ex ejus historia, sive ex modo, quo eum in his terris versantem atque deinde in Ecclesia viventem tractarunt homines, omnium maxime patefit conditio hominis, ab illius Jesu Christi perfectione multum disstans eique adversans. Uti ergo in Theologia apparitio Jesu Christi spectatur ut juncta

cum Deo, ita in Anthropologia spectanda est ut juncta cum hominibus.

Olim conditio perversa hominum existimabatur unice cognoscenda esse e comparatione cum lege Divina, lex autem intelligebatur Decalogus; vid. *Catechs. Palatinae* Quaest. 3. At lex Mosis non est lex Christi; etsi enim hic eam citaverit Matth. 22. 37—40, citavit eam, tanquam Mosaicam, non suam. Suam exhibuit Joh. 13: 34, c. 13: 12, 13. Ibi vero ipse indicat, a lege adscendere nos debere ad ipsum, Jesum Christum, sequendum, nosque igitur etiam comparandos cum ipso, Jesu Christo.

2. Cum Jesu Christo conjungenda, sed hujus simul luce collustranda sunt nostra ipsorum observatio et generis humani historia, quo magis ipsius illius patefactionis in Christo datae vis sentiatur, id, quod illa utraque de homine docet, et confirmans et perficiens, coll. § 38—40.

Hominem cum dicimus, non modo singulos quosque homines, sed et totum genus humanum hîc intelligendum esse, sponte apparet.

§ 55.

Quomodo inde homo jam cognitus sit variis temporibus.

Ante Christum permulti de superiori et spirituali hominis natura parum disquisiverunt aut perspexerunt. Sed qui id, inter Hebraeos imprimis et Graecos, fecerunt sapientiores, praecipue attenderunt ad ingenium hominis, quod ad Dei imaginem creatum, Deo cognatum est, quodque tendit ad τὴν ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ. Sed conditionis perversae, ipsi animo insitae, interior sensus et accuratior notio vix aderat. Scilicet Antiqui haerebant in vita civili, unde virtutis internae notionem plerique non habebant, sed modo *morum*, ἠθῶν, i. e. vitae consuetudinum. Carebant etiam idea sanctitatis, quia ipsis deërat exemplum perfectum sanctumque. Gentium Dii praeterea ipsi non erant sancti. Ergo peccatum ipsis non erat *vitiosi* quid, sed potius *imperfecti* quid, quod non poterat non adesse hominibus.

Conf. VAN VELZEN, *Comment. de hominis cum Deo similitudine*, P. I., et MEIJBOOM, *Comment. de perfecto Sapiente*, in *Annal. Acad. Lugd. Bat.* a 1836—1837.

Nobis de Ecclesiae Christianae notionibus agendum est.

1. Jesus, se ipse dicens et ostendens *Filium hominis*, hominem docuit esse naturae Divinae participem salutisque Divinae capacem.

2. Apostoli, ab institutore Jesu eo adducti, homines in genere humano omnes *spectarunt ut Dei liberos*, qui a Patre aberrarunt, sed et possunt et debent ad eum reduci ejusque germani fieri *filii*. Peccatum illud in genere humano explicuit maxime Paulus.

3. Ecclesia Graeco-Orientalis, per philosophiam Graecam jam ad id praeparata, imprimis hominem *docuit esse naturam liberam Deo cognatam*, quae per Jesum Christum praesertim esset ad similitudinem cum Deo informanda. Licet autem morum corruptelae sese maximopere opponerent hujus Ecclesiae doctores, perversitatis humanae conditionem interiorem parum indagarunt, ita ut Augustinum, saeculo V de homine peccati servo agentem, haud intelligerent.

4. Ecclesia Occidentalis, universe magis practica, hominem in ea, in qua reapse est, conditione maxime spectavit et disciplina regere studuit. Hominem verae virtutis studiosum reddere conatus est Pelagius; quod ut proveheret, naturalem ei vindicavit vel bonitatem vel certe innocentiam. Interiorem hominem primus perquisivit Augustinus, qui cum ipse in se imprimis peccati vim esset expertus, hominem *peccati servum descripsit* maxime, ita quidem ut in hac servitute omnes versentur per Adamum, in quo peccavit genus humanum, ex ea vero nonnulli per gratiam Divinam sint servandi, per hanc quippe ad sanctitatem ducendi. Peccatum ei erat amor sui usque ad contemtum Dei, sanctitas autem amor Dei usque ad contemtum sui (vid. *De Civitate Dei*, L. XIV, c. 28). Augustinum quamquam maximi faceret deinceps Ecclesia, has ejus interiores disquisitiones parum perspexit; soli fere Mystici eas tenuerunt, et explicare etiam studuerunt ulterius.

5. Inter eos qui Augustinum reliquerunt, moderatiores fuerunt Monachi Massilienses, homines Graecâ etiam eruditione conspicui, qui, dum Pelagius hominem morali sensu habuerat sanum, Augustinus mortuum, eundem habuerunt aegrotum; quique ideo Semipelagiani dicti sunt. Postea vero, evanescente omni paene eruditione, dum Ecclesia erat imperium quoddam civile, rudi admodum ratione de homine existimatum est, ita ut sit ejus, in quo summus Imperator erat Deus, hujus autem vicarius Papa, *imperii civis habitus*, externis castigationibus poenisque atque jussis Ecclesiae ad bona adigendus.

6. Reviviscente eruditione et sensu morali magis sensim explicato, inter Reformatorum prodromos imprimis Wesselus Gansfort et Erasmus, cum Platonem tum Augustinum secuti, et hominis peccatum et ejus destinationem ad similitudinem cum Deo consequendam explicuerunt. Reformatores vero ipsi, Augustinum in multis secuti, praesertim *praedicarunt et vindicare studuerunt hominem, a Deo ob peccatum damnatum, justificandum* esse unice e gratia Dei in Jesu Christo exhibita. Haec doctrina ita, ut omnis paene libera hominis voluntas excluderetur, sancita est in Synodo Dordracena. Post Reformatores etiam multi ipsam adeo peccati Adamitici imputationem docuerunt.

Quamvis Reformatores peccati foeditatem intime sentirent, tamen in Dogmatica hanc ejus neglexerunt naturam, qua hoc peccatum ipsum per se nos reddit infelices; ideoque non in luce posuerunt, nos imprimis ipso hoc peccato esse liberandos sanctosque reddendos. Magis proposuerunt nos ideo miseros, quod Deus peccata punit, nosque hisce poenis igitur liberandos; conf. *Catech. Palat.* Quaest. 10, 12. Quare etiam pietatem colendam esse docuerunt quidem, ut gratiae imprimis Divinae respondeamus, non autem, ut sanctitate ipsa felices evadamus; conf. *ibid.* Q. 86.

7. Augustinum etiam secuti sunt Jansenistae, qui in Ecclesia Romano-Catholica Jesuitas Pelagianos oppugnarunt ita, ut maxime homines, *peccato aegrotantes*,

medicina Christi ad sanctitatis sanitatem reducendos esse exponerent.

8. In Protestanti Ecclesia deinde, auctore Kantio, morali philosopho, exstiterunt Rationalistae, qui contra sententiam de homine, ad bona nulla efficienda potente, *vindicare studuerunt, hominem ratione praeditum esse atque libera voluntate*, qua et possit et debeat virtuti studere. Uti vero Ecclesia Graeco-Orientalis et Pelagius, ita et illi explicare neglexerunt hominis perversitatem. Non neglecto hominis ingenio divino, Divinitatis conscio, peccati vim denuo maxime in luce posuit Schleiermacher, qui adeo coepit utriusque conjungere contemplationem, liberâ tamen hominis voluntate neglectâ. Post hunc subtilius longe, quam antea, et clarius peccati naturam exposuit Julius Müller.

§ 56.

Quomodo homo inde nunc sit cognoscendus.

1. Jesu Christi Deique cognitio parum nobis hominibus prosit, nisi per eam quoque ducamur ad cognitionem hominis, qui est subjectum religionis, atque per Jesum Christum ad Deum ducendus est, conf. § 11. Ergo, non minus quam philosophiae, theologiae munus est in illo *γνῶθι σεαυτόν.*

2. Non ab una modo parte cognoscendus est homo, sive ab ingenio et libertate naturae tantum, sive a conditione perversa et peccati servitute solis, sive modo a destinatione, qua ad Christi Deique similitudinem sit informandus. Sed, quod post Apostolorum aetatem in universa Ecclesia conjunctum paene nusquam adfuit, et ingenium eximium, et destinatio divina, et indoles peccato depravata in luce ponenda est, idque ita, ut non modo haec tria per se singula spectentur, sed et vinculum horum conspiciatur.

3. Ab omni parte sic cognoscendus est homo, uti ex Jesu Christo et ex hujus historia cognoscitur, coll. § 53. Itaque ingenii humani non modo praestantia, sed divinitas e Christo conspiciatur. Peccatum non ex legis Divinae transgressione, sed e comparatione indolis ho-

minum cum Christi indole in vera sua plenaque luce ponatur. Destinatio non tantum moralis cognoscatur, sed usque adeo spiritualis et coelestis, ut sit homini propositum, Divino Jesu Christo similem fieri indole, opere, beatitate.

4. Ordo facillimus videtur hicce, ut primum de natura, deinde de huic congrua destinatione hominis videamus, denique de conditione depravata, qua quam maxime indiget Conservatore, ipsius et naturam excolente et indolem emendante, ut destinationi convenienter vivat.

B. HOMINIS NATURA.

§ 57.

Hominis natura praestans et Deo cognata, uti in Euangelio sumitur, ita eodem in plenissima luce collocatur.

Cum in Christo data patefactio praecedenti Divinae patefactioni annectatur hominibusque jam Divinitus praeparatis annuntietur, coll. § 38—40; in Euangelio sumitur homo esse naturâ praestans Deoque cognatus.

A. Homini, quam primum ad sui conscientiam evigilat, tam est luculentum, se prae animalibus brutis eminere et ad ordinem pertinere superiorem, ut jam in Gentilium mythis atque antiquissimis poëmatibus hominum Deorumque cognatio elucescat. Quo cultiores, animo praesertim, erant homines, eo magis haec ingenii conscientia divini in iis viguit. Hebraeorum itaque antiquissima jam monumenta hominem ad Dei imaginem creatum proponebant, et dominabatur haec idea apud optimos quoque in tota antiquitate Hebraea. Philosophi Graeci ii, qui maxime morales et religiosi fuerunt, imprimis hominis cum Deo cognationem laudarunt et explicuerunt.

Hoc idem in Euangelio sumitur ut notum et agnitum. Namque praedicatur eo Dei Filius a Deo missus, ut hominem ad indolis Divinae communionem adducat; quod vel dictu absurdum est, nisi ingenio ejus communionis capax sit homo. Itaque e Veteri Testa-

mento Jacobus, c. 3: 3, e philosophia Graeca Paulus, Act. 17: 28, diserta etiam ejusmodi effata mutuati sunt.

B. Quod autem ita sumitur, et ex vero quidem sumitur, id eodem hoc Euangelio in plenissima luce ponitur, idque cum Christi personâ, tum ejusdem opere.

1. Jesus Christus Dei Filius erat, divinitatis a Patre factus particeps usque adeo, ut vel merito Θεὸς appelletur, idemque perfectus simul homo erat, quippe, etsi jam antea exstiterat, tamen plane homo factus, naturae humanae in omnibus consors; ut in illo igitur divinitatis et humanitatis consensio et unitas generis appareat, § 27—33. Itaque ille se constanter appellabat *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου* vel et *υἱὸν ἀνθρώπου*, et homines agnoscebat fratres, v. c. Matth. 25: 40, Joh. 5: 27, c. 20: 17, et ita de hominibus locutus est hominesque ita instituit, ut videas, eum in iis, aeque atque in semet ipso, divinum agnosse ingenium.

Conf. de hac re priori C. W. VAN DER POT, *Iets over den zin en de kracht der benaming* „de Zoon des menschen", in *Waarh. in Liefde*, 1846, I, de re posteriori conf. antea jam laudatus LA CLÉ, *De J. C. instituendi methodo.*

Igitur, quod in se jam senserant et in humano genere adesse jam docuerant homines virtute et religione prae caeteris excellentes, id perfectissime in se habuit, totâque adeo suâ personâ atque vitâ homini proprium esse ostendit luculentissime homo virtute atque religione prorsus perfectus, Jesus Christus.

Ipsa haec perfecta Jesu Christi indoles multos impedit, quominus se ingenii ejusdem Divini participes agnoscant. Vident enim illum et facultatum excellentia longe prae reliquis hominibus eminentem et coelitus in hanc terram delapsum. Et inique sane quis postulet, ut ei vel aequales vel etiam sine ipsius interventu indole similes simus. Sed perverse etiam agimus, si negligimus, illum, quamvis ingenii excellentiâ et cultu longe superiorem, vere tamen planeque hominem his in terris vixisse, cui nos homines, ingenii naturâ similes, etiam indole simillimi fieri et possimus et debeamus.

Comparari potest vir aliquis ingenio eximius et in Ecclesia Christiana ad probitatem sanctitatemque informatus, qui ad Gentiles venit Euangelii praeco. Hic ingenii et excellentia et cultu longe prae iis eminet, sed est tamen homo vivens inter homines, qui ingenii naturâ illi similes sunt, atque per ipsum indole ei simillimi fieri et possunt et debent. Conf. § 33, p. 38.

2. In ejusdem Jesu Christi opere hoc imprimis patet, generi humano vere inesse idem illud, quod homini Jesu proprium erat, ingenium Divinum. Ipse non modo, id agnoscens et sumens, aggressus est homines ad Divinae suae indolis communionem adducere, sed et expertus est, eos revera illius esse capaces, cum certe aliqui per ipsum ad intimam cum Deo communionem adducerentur. Et in terris jam ipse vivens eo adduxit specialiter istiusmodi homines, qui videri facile possent quam minime capaces esse ejusmodi excellentiae, ut pauperes et a mundo contemtos et inter hos etiam aliquos admodum perversos. Similiter se res in prima Ecclesia habuit, ut illius generis nominatim homines ex Judaeis Graecisque ad Christum accederent et paterent divino esse ingenio praediti; conf. 1 Cor. 1: 26—28, c. 6: 9—11. Julianus Imperator Germanos, cum inter eos versaretur, nullius putabat cultûs capaces; et vel sic tamen hi ipsi in Ecclesia Christiana sese ostenderunt divinae Christi indolis capacissimos et nominatim ad libertatem spiritualem natos. Et nunc Americae et Australiae incolarum, qui tam rudes erant, ut a viatoribus multis vix homines esse agnoscerentur, sic excolitur ingenium, ut agnoscendi sint Jesu Christi fratres.

Divinam hominis naturam sic perfectissime in Christi persona ipsiusque opere patefieri, minime mirandum. — Ut Glauci, dei marini, statua e mari protracta, algis sordibusque adeo obsessa erat, ut animalis bruti magis quam dei referret imaginem, essetque purganda illis omnibus, ante quam vera, qualis origine erat, ejus divinitas apparere posset; sic jam Plato (*Republ.* X, p. 611) dicebat animum humanum ita in rerum terrenarum quasi fluctibus esse impurum sordibusque vitiorum circumdatum,

ut divinum ipsius ingenium agnosci vix possit. — At in Jesu Christo puro sanctoque homine naturae vis optime conspicitur, et per ipsum purgati homines, ingenio quid capere possint, experiuntur et ostendunt. Quare et in semet ipsos intuentes Christiani, aeque atque Paulus Act. 17: 28, vident: Θεοῦ γένος ἐσμέν.

§ 58.

Quibus rebus constet haec naturae humanae praestantia.

A. Quodsi jam accuratius investigemus naturae humanae praestantiam, tenendum est, hanc minus clare in hominibus plerisque cerni, quandoquidem praestantissima quaeque iis inesse solent tanquam semina, vel vix vel parum certe explicata.

Semina sunt: nam sapientia, virtus, sanctitas ingenio instituendo informari, tanquam e seminibus fructus, possunt; creando infundi nequeunt. Sed hoc ipsum, quod ita semina tantum rerum optimarum quarumque a Deo homini indita sunt, non vero ipse omni, ad quam escendere potest, praestantiâ instructus a Deo est creatus, demonstrat, quam excellens sit natura humana. Ita enim natura haec humana praestat et prae artificiis, quae a nobis fabricari possunt, quaeque talia, qualia sunt ex artificis manu profecta, semper manent, et vero etiam prae brutis animalibus, quae instinctu semper ducuntur eodem, quo nata sunt. Homo maxime vitam in se habet propriam, et semina sibi indita semper magis explicare potest eoque ipso semper progredi.

Sed, si vel ideo minus facile praestantia humana perspiciatur, exercitatiores tamen naturae humanae indagatores vident haecce.

1. Incipit homo jam infans uti corpore suo, et incultiores etiam gentes in bruta animalia rerumque naturam reliquam dominari incipiunt. In pueritia homines populique primum evigilant ad sensum ejus, quod sublime est et supra eos elatum atque Divinum. Deinde ad sensum maxime pulcri perveniunt in rebus corporeis primum; postea in moralibus quoque se ostendit pudor et honesti studium. Sic sensim studium boni expergiscitur magis

magisque in homine adolescente. Juvenili aetate homines gentesque ad id quod verum est indagandum et discernendum facultatibus se gaudere ostendunt, atque ita cum in mundo corporeo quid verum sit inquirunt, tum etiam quid vere pulcrum, quid vere bonum vereque divinum, indagare incipiunt. Virili autem aetate maxime in hominibus populisque excultoribus sese ostendit animi voluntatisque libertas, qua sese efferre student supra vim mundi externi, et non coacti sed sponte expetunt, quod pulcrum, honestum, bonum, divinum est.

2. In his autem omnibus non solitarius est homo, sed ab infantia inde et pueritia homines gentesque omnes magis magisque conjunctionis societatisque amorem ostendunt. Ita ergo in humana societate et per vim maxime conjunctionis cum parentibus primum, deinde cum fratribus, post cum amicis et conjugibus, cum civibus etiam, denique cum quibuscunque hominibus excoluntur sensim homines, exseruntque se optima quaeque ingenii semina. Ex hac ipsa conjunctione et societate, uti naturae humanae dependentia cernitur, ita non minus ejusdem conspicitur praestantia. Haec enim ostendit hominem posse etiam sese communicare cum aliis, se quasi extendere suique effigiem in aliis creare. Atque sic ad excelsiora sensim progreditur homo, et ipsae illae vires animi pedetentim progrediuntur perficiunturque ulterius, imprimis in optimis quibusque; ut limites, quibus circumscripta sit praestantia naturae humanae, appareant nulli. Jam vero cum plantae et bruta finem, ad quem attingendum facta viribusque suis instructa sunt, hac in terra prorsus attingant, divinum autem hominis ingenium, quo magis excolitur, eo magis et possit et velit plura atque excellentiora, ut in brevi hac vitâ terrenâ explicationem suam incipere, minime vero finire dicendum sit; hinc omnium maxime vitae immortalis ei spes oritur.

Hisce, usu corporis dominioque in res externas, sensu sublimis, pulcri, boni, facultate veri videndi, libertate voluntatis, iisque in societate humana explicandis, et semper atque in aeternum ad perfectiora progredi valentibus, contineri praestantiam humanam, quodam-

modo jam cernere homo quisque cultior in semet ipso potest: uti in se id viderunt philosophi optimi. Neque minus id docet historia humanitatis, adeo ut non modo apud Hebraeos, sed apud Graecos etiam Romanosque agnitum fuerit, hominem ad Dei imaginem creatum et generis Divini esse atque propter hoc ipsum etiam immortalem.

B. Hisce autem contineri praestantiam humanam, omnium maxime conspicitur et in homine perfectissimo Jesu Christo, et in historia perfectioris humanitatis sive in opere Jesu Christi, Ecclesiam suam informantis.

1. In ipso perfectissimo homine Jesu Christo conspici luculentissime et sensum divini et studium boni, idque cum veri amore junctum, et animi in corpus et res externas omnes dominationem, ne opus quidem est, ut moneatur; ex universa hoc Christologia unicuique liquet. Conjunctionem vero etiam hominum quantopere expeteret Jesus, ostendit, quum mediâ in hominum societate semper viveret, et cum amicis lubentissime versaretur, iisque se carere non posse interdum significaret, Matth. 26: 38. Purus pulcri sensus, qualis in eo erat, jam per se est Divinus, quippe ab ipso Deo in totius mundi creatione demonstratus. Erat autem ille in Jesu Christo praeterea ad Divinam sapientiam et sanctitatem provehendam unice directus. Hunc pulcri sensum in eo viguisse, videas cum ex observatione pulcrae naturae, in parabolis ipsius maxime conspicua, tum ex consuetudine studioque in mediâ hac pulcrâ naturâ versandi vivendique, tum vero etiam ex pulcerrima non parabolarum modo, sed universae orationis ejus formâ. Libertas autem voluntatis in eo cernitur tanta, quanta ullo modo unquam conspici potest. Etenim non modo rerum corporearum vi frangi aut impediri se non passus est, neque laetarum neque tristium, sed et hominum neque opinionibus, neque illecebris, neque vi aut minis adductus est, ut iis assentiretur; imo insitâ vi animi sui, quod vere bonum est divinumque sponte et voluit et peregit, non, servi instar, per legem aliquam Divinam eo adductus aut paene coactus, sed ut liberrimus filius, perspiciens ipse, bonum esse sanctumque, quod Deus vult

agitque, et hunc, Patrem suum, amans, Joh. 5: 17 seqq. c. 8: 35, 36, c. 15: 10, 15. In ipso muneris initio, contra malum saeculi sui genium pugnans, sibi proposuit, regnum spirituale spiritualibus unice mediis condere; idque agere perrexit per vitam totam, nunquam se aut Herodi aut ipsi Imperatori miraculorum ope ostendens Dei Filium, ut potestatum civilium interventu totam patriam suam vel totum imperium Romanum subito immutaret; et ne ab eo quidem destitit cum ad mortem ideo eum homines ducerent, in vinculis et servili cruce ipsa liberrimus. — Esse autem haec omnia nullis limitibus coarctata in Jesu Christo, vel ex eo liquet, quod tota ipsius natura humana ad Dei naturam proxime accesserit, coll. § 32. Hanc denique vitam spiritualem revera esse immortalem et aeternam, in Jesu Christo, post mortem eâdem vitâ fruente eandemque coelitus agere pergente, luculentissime patefactum est, § 35, coll. § 36.

2. Quodsi ad historiam conditae informataeque per hunc Jesum Christum Ecclesiae attendimus, id jam primo in oculos incurrit, Dei Filium ejusmodi praestantem naturam in hominibus agnovisse, cum ipse coelitus descendens humanam assumserit conditionem, idque ut homines sibi redderet similes. Ipse id cum universe enuntiavit, Joh. 13: 15, tum etiam habita ratione illius, quod in ipso erat summum, c. 15: 12 seq. Illud autem consilium suum assequi eo voluit, quod ab initio inde Apostolorum sibi jungeret sodalitium, ex quo societas deinde totius generis humani sancta oriretur, Joh. 17: 4, 6—8, 20—23. — Deinde in ipsa hac Ecclesia, quam fundavit et perpetuo informat, ostendit a principio inde Jesus Christus, per ipsum posse genus humanum ad vere bona divinaque duci et ad dominatum in corpus resque externas omnes; atque ideo facultates viresque, ad id necessarias, humanae esse naturae ingeneratas. Nam societatem condidit, veri studio et cognitione in rebus bonis atque divinis, et virtute verâ verissimâque religione prae omnibus, quae unquam adfuerant, longissime eminentem, et pro hac causa sua omnes saepe voluptates linquentem, omnes

vexationes mortemque corporis ipsam perferentem. Societatis conjunctionisque studium in hac Ecclesia, ut in alia communione nulla, apparet, cum ipsa nitatur esse societas gentis totius humanae. Sed et pulcri sensus in eâ novo vigore conspicuus apparet, cum artes pulcerrimae novâ plane ratione in eâ excultae sint, eloquentia sacra, pictura et musica sacra, sacra poësis Christiana; quae artes a Jesu Christo se vim suam novam habere eo quoque ostendunt, quod ad ipsum imprimis, utpote omnis pulcri honestique exemplar et speciem perfectam, celebrandum conspirant. Libertatem autem Jesus Christus in hominibus et agnoscere se ostendit et excitavit toto opere suo, uti alius nemo. Nullis omnino vinculis certarum formarum, rituum, legum, adstrinxit suos, sed solo veritatis amorisque spiritu eos imbuit, ut suas sibi formas, ritus, leges ipsa sponte produceret gens quaeque et aetas quaevis, et ut sua quisque ratione spiritum illum patefaceret homo Christianus. Hinc e religione Christiana etiam exstitit eique propria est Dogmatica libera, sive philosopha ipsius religionis disquisitio, quae nusquam praeterea invenitur; nam Graecis quidem fuerant et philosophia et religio, sed fuerant tanquam sibi invicem hostes. Imo vitam ingenii animique propriam Jesus in suis excitavit quam maxime, quum eos neque a sacerdotum auctoritate, neque a sua invicem opinione, neque ab ipsius adeo auctoritate pendere vellet; sed hoc unum sibi proponeret, ut veri bonique et divini, quod in ipso perfectissime patefactum conspiceretur, sensu adacti totos se ipsi confiderent, ipsumque liberrime amarent, atque sic insitâ animi ingeniique vi ipsum sequerentur; conf. omnino Joh. 6: 67. Itaque in ipsa hac Ecclesia statim primi Christiani, et imprimis Apostoli hac in re Jesum omnino secuti sunt, conf. Joh. 4: 42, 1 Cor. 3: 21—23. Et cum auctoritatis humanae vis jam pridem in ea prodire niteretur, fuerunt semper, qui suâ, a Christo excitatâ, libertate uterentur; cumque illa auctoritas usque adeo invaluisset medio aevo, ut paene dominatura esse videretur, per Reformationem libertas sese Christiana eximie vindicavit. Neque adeo unquam sivit Jesus Christus, ut

vi ulla humana opprimeretur libertas illa. Imo uti ipse, ita etiam ipsius Ecclesiae socii in mediis maxime vexationibus et cruciatibus ostendunt, hac se valere naturae Deo cognatae vi, qua et pro eo, quod bonum divinumque est, mori omnino possint, et hoc profitendi diligendique libertate se spoliari sinere non possint.

De pulcro et de phantasia, in religionis causa non negligendis, conf. ULLMANN, *Theol. Stud. und Krit.* 1845, I.

Talem, qualem hic descripsimus, esse praestantiam naturae humanae, ex Jesu mente, per ipsum ipsiusque Apostolos significata, uberius expositum videas *Inst. Christ. mor.* § VIII.

C. Hominis destinatio.

§ 59.

Hominis destinatio ad Dei similitudinem tendens, ut Euangelio sumitur, ita eodem et luculentissime cognoscitur et certissime confirmatur.

A. Natura illa praestans nobis data non est, ut ea quieti gauderemus, sed ut ipsam, quippe facultatibus et quasi seminibus boni divinique constantem, coll. § 40, p. 52 et § 58, p. 117 sqq., explicaremus. Itaque cum natura ea sit Deo cognata, sponte sentimus, destinationem esse nostram, ut Deo fiamus similes. — Hoc autem, quod ita sponte sentitur, sensum etiam jam antiquitus fuit. In mythis gentium jam Deorum hominumque consuetudo et communio adest. Moses in legislatione identidem inculcabat illud: „Sancti estote, nam ego Jehova sanctus sum." Vates Hebraei saepius hoc protulerunt ad principes homines effatum memorabile: „Dii vos estis et filii Supremi," vid. Ps. 82: 6. Iidem efferunt destinationem gentis suae hancce, ut spiritu Dei omnes agantur. Hoc ipsum in philosophia Graeca ut sentiebatur et proferebatur, ita etiam de industria exponebatur maxime a Pythagora et Platone, homini propositum finem esse, ut, humilia fugiens, erigat se ad τὴν ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ. Conf. § 55 init.

Hanc esse hominis destinationem, uti verum esse

apparet, ita in Euangelio sumitur. Namque Deus Filium suum sibi simillimum in has terras misit, ut hicce homines omnes redderet sibi, eoque ipso Deo similes, conf. Matth. 5: 45—48, Joh. 1: 12—14, 16, Rom. 8: 29, Eph. 4: 24 et § 34. Quod vel cogitari nequit, nisi sumatur haec esse hominis ex Dei mente destinatio.

B. Qualis autem haec sit destinatio, ex Euangelio cognoscimus, et eam revera esse talem, ex eodem confirmamus, uti aliunde nusquam.

Hîc statim destinationis hominum Divinae descriptionem tradimus, quam deinde Euangelio consentaneam esse indicemus, uti § 58 de naturae praestantia egimus; non praeponimus universe demonstrationem ejus quod destinatio hominum revera est divina, uti fecimus de natura § 57; namque illic ejusmodi universalis demonstratio necessaria erat, hîc non item, quum, si ingenium ipsum divinum esse agnoverimus, sponte videamus, destinationem esse divinam debere.

a. Constat autem haec destinatio

1. eo, ut societate arctissime homines jungantur. Et cum ante Christum paene unice familiae et civitatis societas cognosceretur, jam destinatio cernitur hominum haecce, ut ad societatem etiam cum genere humano toto, cum Jesu Christo et cum ipso Deo intimam adducantur. Conf. Joh. 17: 20 seqq. Haec autem societas uti multo amplior est, ita etiam perfectior multo. Namque in ea

2. destinati sunt omnes, ut aliis aliorum et suas singuli facultates quasque, § 57 laudatas, perficiant; ut magis magisque singuli atque cuncti in eo quod sublime et divinum est, sive in Deo, penitus vivant; bona omnia, imo optima, toto animo conjunctisque viribus expetant; verum omne, maxime vere bonum divinumque, et inquirant et perspiciant, et secum invicem communicent; liberrimi nullisque, ne vel maximis quidem difficultatibus impediti, illis convenienter vivant; vitam hanc optimam et sanctam verbis, factis omninoque formis pulcerrimis honestissimisque patefaciant; neque tantum corpus suum singuli sibi plane subjectum habe-

ant, sed etiam in universam, quacum juncti sunt, rerum naturam magis magisque et singuli per se et omnes conjuncti ita dominentur, ut cuncta in fines optimos conspirent. Universe vid. Eph. 4: 24; de postremo hocce conf. Rom. 8: 19—23, Hebr. 2: 8. Quod autem ex his jam intelligitur,

3. tenendum est, illas facultates non singulas modo esse perficiendas per se, verum ita explicandas et regundas, ut altera alteri non noceat, altera alteram non tollat, sed conspirent ipsae inter se et se invicem juvent. Itaque cum mentis veritate animi sensus, cum utroque voluntatis constantia concordet, corporis autem usus cum spiritûs, qui intus agit, sanctitate; quo ipso non alicujus facultatis, sed totius hominis oriatur perfectio. Imo hoc expetatur, ut in societate Christiana diversissimorum etiam ingeniorum homines sine invidia apte amanterque secum invicem consentiant et ad communem salutem efficiendam conspirent. De hoc conf. 1 Cor. 12.

4. Eo ipso autem destinati sunt homines ad beatitatem. Infelices nos sentimus, quando naturae nostrae aliorumque, quibuscum vivimus, desideriis non satisfit, et quando pugna est bellumque intus in animo nostro, et quando extra nos in societate, in qua versamur, vel bellum est vel communionis defectus. Ergo, quo magis perficiuntur in homine et genere humano facultates viresque omnes, et in unoquoque harmonia, in societate conspiratio et cooperatio omnium oritur, et per hoc ipsum simul dominium in res externas omnes perficitur, eo magis beatum se et homo et genus humanum sentiet. Est igitur haec beatitas humana posita non modo in singulorum perfectione, imprimis in eorum amore atque vi alios beante, sed et in cunctorum harmonia et conspiratione, efficiente, ut perfectioni communi omnia inserviant. Conf. Ephes. 1: 18, 21—23, coll. c. 4: 10—16.

5. Ad haec omnia ita destinati sumus, ut aeterna eorum sit progressio. Quodsi iis fruamur, jam gaudemus et beatos nos sentimus eatenus, ut certe non cruciemur desiderio alîus, quam qua jam gaudemus, conditionis. Neque enim cruciemur oportet desiderio conditionis

perfectae, si indies magis *perficimur*, namque, uti jam Thomas Aquinas rite enuntiavit: „Quilibet tenetur „tendere ad perfectionem, non autem tenetur esse per„fectus." Sed vel sic tamen ideo maxime iis gaudemus omnibus, quia sentimus et speramus, nos in iis perpetuo progredi posse. Itaque et hac in vita progredi perpetuo jam studemus in illa perfectione atque harmonia, et vero post mortem exspectamus, eam progressionem minime abrumpendam, contra multo etiam feliciorem esse futuram. Imo, ut in homine jam hac in terra, coll. § 58, sensim se exserunt aliae atque aliae facultates, quae latuerant antea, ita etiam in altera post mortem vita novae identidem facultates, adhuc aut magis latentes aut prorsus ignotae, se explicabunt. Conf. Hebr. 1. 1.

Vid. THOMAS AQUINAS, *Secunda Secundae*, Quaest. 186, art. 2. Vernacule rite distinguimus verba *volmaking* et *volmaaktheid*.

6. Hisce rebus constans destinatio hominis meritissimo dicitur contineri maximâ cum Deo similitudine. Deus enim ipse societatis totius universi auctor est, et suam vitam spiritualem cum spiritibus omnibus communicare vult, coll. § 46, B. Deus idem non modo perfectionibus multis gaudet viribusque singulis est infinite magnis, sed in eo haec est harmonia, ut una sit ipsius natura perfecta; conf. § 47, num. 5. Deus ille hoc ipso, quod tam perfectus est et suam perfectionem prae amore cum omnibus communicat eosque beat, est beatus. Idemque, ut ab aeterno talis fuit, ita in aeternum sic vivere et agere perget, et quo magis ipsius perfectionem mundus suscipere potest, eo constanter magis progreditur sese et patefaciendo et communicando eoque ipso magis se sentit beatum, conf. Joh. 15: 8. Homo igitur his singulis si gaudeat et in his si perpetuo progrediatur, et habere dicendus est et sensim magis acquirere Divinae indolis similitudinem Conf. 2 Petr. 1: 4 seqq.

b. Talem esse destinationem hominis et humani generis, cum cognoscimus luculentissime, tum confirmamus simul certissime et ex Jesu persona et ex ipsius opere.

1. Jesu persona, utpote hominis perfectissimi, ad cujus perfectionem omnes sunt informandi, coll. § 27—31, est τύπος hominum omnium, Hebr. 2: 6—11, id est, non modo est exemplar, ad quod omnes magis magisque informari *debent* perfectum, ideale; sed etiam est exemplar, *per quod* tales fieri *possunt* homines omnes, perfectum, reale.

Τύπος est, cui non modo similia fieri debent, sed per quem etiam possunt fieri et revera fiunt similia τὰ ἔκτυπα. Vernacule dicas optime „een stempel, *waaraan* de munt gelijk worden *moet*, en *waardoor* zij het worden *kan*."

Jesus autem ille amavit non modo inter omnes vivere, sed et secum jungere pueros senes, foeminas viros, Samaritanos Judaeos Gentiles, et intimo animi studio expetebat hocce, ut in unius Pastoris gregem unum omnes conjungerentur. In Jesu illo facultates humanae singulae erant perfectae, § 58. Harmonia earundem erat eximia, § 30. Hoc autem ipso, quod Deo obsequens ita perfectus vivebat et suam perfectionem, Dei instar, cum omnibus communicabat, sentiebat se beatum, Luc. 10: 21, Joh. 4: 34; in mediis etiam externis calamitatibus hanc reputabat et hanc deinceps fore semper majorem sperabat felicitatem, Joh. 17: 13. Haec ejus perfectio et beatitas jam his in terris perpetuo progrediebatur, cum etiam perpessionibus suis ad excelsiorem perfectionis gradum se erigeret, Hebr. 5: 8, 9, et suam excellentiam perpetiendo moriendoque magis communicaret cum aliis, Joh. 12: 32. Jesu autem vitam hancce morte non esse deletam aut abruptam, sed ad excelsius quid etiam evectam, apparuit ipsius in vitam reditu et in coelum abitu. In coelo vivens magis etiam, quam in terra unquam potuit, vitam illam divinam et generi humano salutarem vivit, Joh. 17: 2. Imo non interrupta facultatum progressio et virium etiam antea latentium explicatio in tota Dei Filii vita ac natura cernitur, conf. omnino § 33. Ita ergo ille his Deo tam est similis, ut a nobis certe similior quisquam ne cogitari quidem possit, coll. § 32.

2. Jesu opus, sive Ecclesia Christiana ab ipso condita atque informata, theatrum est ejus, ad quod a Deo destinatus est homo, quippe qui in ea Divinitus ad id est revera adducendus.

Itaque ipsum jam hoc, quod a Deo missus est Christus ut Ecclesiae societatem conderet, luculenter ostendit, destinatos a Deo illo esse homines ad societatem et latissime patentem et ad facultatum perfectionem harmonicam tendentem, qua beati per se invicem sint homines perpetuoque progrediantur, conf. § 58. Neque tantum ad id missus a Deo est Jesus Christus, sed etiam per ipsum revera hanc Ecclesiam condidit et conservat et perficit Deus, ita quidem, ut in hac conjuncti per se invicem perficiantur homines revera ad imaginem Jesu Christi, et ut genus humanum jam nunc magis magisque sit progressum ad hanc imaginem sensim perfectius referendam, coll. § 36. Ad hanc autem Dei Filii imaginem reformata gens humana, eo ipso magis magisque ad similitudinem accedit Dei.

D. Hominis conditio.

§ 60.

Conditio hominis, per peccatum depravata, uti in Euangelio sumitur, ita eodem in plena luce collocatur.

A. Ab hac natura et cum ea arctissime juncta destinatione homo, utpote liber, deflectere potest. Et vero inde deflexit genus humanum ab initio inde. Scilicet sensibilitati, per se non malae, homo, libertate sua abutens, ita indulget, ut ingenio destinationique suae adversetur. Cumque arctissima sit totius gentis humanae conjunctio, per procreationem ipsam propagatur haec conditio, qua facillime ad peccatum proclives fiant homines, et per commercium cum peccantibus haec est contagio, qua difficillime ei resistant: cui et conditioni et contagioni libere indulgentes et obsequentes, homines omnes vel magis vel minus peccato subsunt.

Locus de origine peccati in genere humano, sive uti

dici solet, de peccato haereditario, de industria tractari in Dogmatica *Christiana* non potest, quum e Christi persona atque historia nihil de hac quaestione derivari queat, etsi ejus nativitas e virgine Mariâ extraordinaria aliquid contineat, quod hanc rem quodammodo significet. Universe ergo Euangelium sumit quidem, adesse peccatum in toto genere humano atque hoc ipsum cum patefacit tum tollere studet, sed de ejus origine neque historice disquirit neque philosophatur. Paulus, ut cohaerentiam sanctitatis nostrae cum sanctitate Jesu Christi illustret, comparationem instituit cohaerentiae peccati nostri cum peccato Adami, non ex Euangelio sed aliunde ipsi cognitae, Rom. 5: 12 seqq. Ex Pauli igitur sententia uti peccati ita sanctitatis quaedam est propagatio et haereditas. De illa re ipsa nos egimus in *Instit. Theol. nat.* § XXXVIII et in *Instit. Christ. mor.* § XIII; ubi ostendimus, vim ad peccandum impellentem in sensualitate esse positam; hanc augeri eo, quod e corruptis perversitate parentibus omnes nascuntur; peccatum ipsum oriri ex eo, quod impulsioni huic libere homo obsequitur; et hujusmodi sententiam cum Divinae naturae sanctitate, Divini regiminis sapientia et humani generis conditione esse congruentem. Hîc notamus, ad religionis Christianae causam provehendam summi esse pretii, ut in singulis, qui nunc sunt, hominibus origo, progressio omnisque natura peccati indagetur, et societatis humanae, quae nunc est, vis peccati propagatrix et contagiosa observetur. Quare de hoc utroque in ipsa hac §° agimus.

Quum autem, prae ingenii excellentia, vel sic tamen homo sentire pergat, quid natura postulet et ferat destinatio, conscii sibi sunt homines, optimi quique maxime, se esse perversos. — Hinc igitur conditio depravata et perversa agnita jam est in antiquitate ante Christum, uti liquet in ritibus sacris maxime e sacrificiis expiatoriis, in rebus civilibus ex legislatorum, oratorum poëtarumque querelis, praeterea inter Hebraeos imprimis ex Prophetarum desideriis melioris conditionis spiritualis, inter Graecos ex Pythagorae, Socratis aliorumque philosophia emendatrice, imprimisque ex Platonis figmento,

homines proponente similes speluncae subterraneae et luce paene destitutae incolis, qui umbris delectentur loco ejus, quod vere est bonum pulcrumque.

Talem conditionem depravatam et perversam esse, uti ex vero semper agnovit antiquitas, ita Euangelium sumit. Ibi enim nuntiatur Jesus Christus nominatim ut peccantium hominum Conservator, perversitate ejusque sequelis eos liberaturus. Quod ne cogitari quidem potest, nisi persuasum sit, illo Conservatore indigere genus humanum imprimis ob perversitatem suam.

In eadem autem antiquitate illa magis plerumque universales querelae erant, et, propter id ipsum quod peccatum in antiquitate universe dominabatur, natura peccati interior parum perspiciebatur, neque quatenus hominem per se spectatum pervertit, neque quatenus eum a Deo abalienat: illud adeo Hebraei, utpote Theocratae, hoc Graeci, quippe philosophi, etiam praestantissimi, paene omnino neglexerunt.

B. In Euangelio primum conditio haec per peccatum depravata in plena luce collocatur.

a. Haec ergo peccati natura constat

1. sensibilitate regnante. Infans primum corpore unice se exserit, atque ita adolescens, cum debeat spiritu se imprimis explicare, in sensibilitate corporea maxime haeret. Quid? quod natus e parentibus, sensibilitati regnanti nimis aut omnino subjectis, tanto magis inde a natalibus ad idem vitium impellitur homo. Cui sensibilitati atque impulsioni quum homo, ad dominationem in corpus resque terrenas et adspectabiles omnes creatus, magis minusve ipse indulgeat atque se subjiciat, hinc nascitur

2. rerum terrenarum studium. Atque adeo non, pro ingenio suo suaque destinatione, in sapientia et virtute prae omnibus beatum se sentit, sed voluptatibus, divitiis, honoribus, dignitatibus delectatur, ut bonis vel unicis vel praecipuis.

3. Itaque eo ipso negligitur Deus. Et, quum intima cum Deo communio ipsius una salus esse debeat, divina omnia, ea quae vere sunt bona sanctaque, vel om-

nino non respiciuntur vel certe postponuntur terrenis, aut etiam rerum terrenarum speciem induere coguntur.

4. Cum his arcte junctus est defectus amoris erga homines. Qui igitur, Deo similis, amore ad societatem excolendam et provehendam unice vivere debet, homo, corpori suo suisque deliciis et honoribus et dignitatibus vivens, eo ipso aut negligit homines alios, aut sui causa his delectatur, aut etiam, si ipsius desideriis commodisque adversentur, his se opponit, inimicus fit et adversarius.

5. Societatis, tali peccato corruptae, contagioso exemplo atque commercio praeterea expositus est. Cui homo per communionis cum Deo vim resistere quidem debet, sed perversus ipse mundo perverso obsequitur; tantoque magis malus mundi spiritus in eo regnat.

6. Imo, cum debeat meliores in societate humana illos, qui ad virtutem Deumque ducere eum velint, modeste semper liberrimeque et audire et sequi, contra fit, ut modestiae locum superbia, libertatis vero licentia occupet, et, si qui sint a perversitate ipsum revocare conantes, parentes, institutores, legislatores, prophetae, philosophi, eos prae caeteris facile inimicos habeat odioque prosequatur.

7. Quodsi haec cum iis conferantur, quae § 57, 58 de ingenio hominis divino vidimus, patet, impellente quidem sensualitate et societatis perversae vi, in peccatum incidere in eoque progredi hominem, neque tamen alia de causa, nisi quia libere ipse utrique indulget, et Deo atque optimis quibusque, ad Deum ducere eum volentibus, resistit.

8. Itaque non est haec sane vita in Deo aut amor Dei hominumque, sed abalienatio a Deo, adversans Deo hominibusque; sive, ut positive rem enuntiemus, est egoismus. Hic autem egoismus eo usque se extollere potest, ut fiat odium Dei generisque humani. Nam qui tibi resistit, ab hoc facile, ut inimico, aversaris, et quem laesisti, hunc facile suspicaris se vindicare velle, atque ideo quoque odio habes. — Dei indoles, ad cujus similitudinem homo naturâ destinatus est, continetur

amore, quo se Deus quasi expandit seseque communicat quam maxime cum aliis omnibus. Hominis, a Deo abalienati, indoles egoismus est, quo in semet ipse se contrahit et omnia ad se rapere et trahere studet, vel et egoismi est culmen, odium, quo nihil non, sui causi, delere gestit. Nam summi amoris est, se quasi immolare aliorum causa, egoismi vero, omnia immolare sibi.

b. Talem esse conditionem hominis et humani generis perversam et depravatam, luculentissime conspicimus ex historia Jesu et Ecclesiae Christianae.

1. Et cerni quidem depravatio haec minime potest in Jesu persona, ἀναμαρτήτου illius; verum ex oppositae virtutis sanctitatisque, amore summo erga Deum hominesque contentae, excellentia, in illo conspicua, illustratur quam maxime perversitatis et impietatis, egoismo contentae, natura.

Sed ex historia Jesu Christi illa depravatio tam luculenta et horrida cernitur, uti aliunde nusquam. Quantopere regnaret sensibilitas, et quantopere hujus vis regnans sit Deo Divinisque omnibus opposita, conspicitur ex eo, quod vix ad divinum illum hominem attenderetur, nisi quatenus miraculis oculos sensibilitatemque feriret, quare etiam coactus paene fuit, miraculis identidem attentionem vulgi excitare, Joh. 4: 48, quum etiam doctores cultioresque non divinam ejus indolem, sed unice miracula respicerent, c. 3: 2. — Rerum terrenarum studium ingens fuisse et dominans idque Divina omnia pervertere, ex eo conspicitur, quod vel Messiam exspectarent terrenum, in externis ritibus et actionibus religionem ponerent, Jesumque adeo, nullo externo splendore eminentem et cultum Dei spiritualem volentem, spernerent, conf. Joh. 6: 42. — Hoc ipso simul apparuit clarissime, oriri inde Dei rerumque vere Divinarum neglectum, cum ipsum Jesum Christum, Dei expressam imaginem et ad Divina ducentem, pauci admodum quodammodo sequerentur, et, si externis eorum commodis miraculorumque studiis ille non satisfaceret, paene omnes recederent, Joh. 6: 26, 60, 66. — Defectus amoris quam indivulso cum his vinculo junc-

tus sit, maxime conspicitur in neglectu plebis, apud cultissimos etiam observando, Joh. 7: 49, adeo ut nihil magis mirandum accideret in Jesu, quam hocce, quod plebem pauperesque curaret et ad se duceret, Matth. 11: 5. — Contagiosa societatis vis quanta per peccatum fiat, cernitur imprimis in virorum principum opinionibus et cupiditatibus terrenis cum toto populo ita communicatis, ut in eo universe regnaret spiritus Divino Jesu spiritui oppositus, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου, Joh. 14: 30. — Ut ergo jam antea in genere humano sapientissimi et optimi quique rejecti et vexationibus objecti erant et Baptista etiam ab Herode in carcerem conjiciebatur, ita multo etiam minus ferri Jesus Christus poterat a longe plerisque, quippe sanctitate suâ omnium impietatem vehementissime damnans. Quapropter generis humani perversitas ingens ejusque natura e diametro Deo Divinisque omnibus opposita omnium maxime cernitur in hoc, quod optimum, maxime amabilem, plane Divinum huncce rejecit, vexavit, cruci affixit. Sic enim in Jesu Christi historia cernuntur homines prae egoismo ipsum hunc Dei Filium et in ipso Deum odio habentes, Joh. 11: 47—50, c. 12: 19, 15: 24.

Itaque multo magis, quam in Prophetarum aliorumque caede, imo magis etiam quam in ipsius Jesu vita, plenissime in cruce ipsius peccati humani exsistentia et natura patefacta est, conf. Matth. 23: 29 seqq. Conf. etiam SCHUKKING, *Onderzoek naar de oorzaken, welke Jezus zelf heeft opgegeven van zijne verwerping door de Joodsche natie, en of die zelfde oorzaken nog bestaan bij velen, bij wie het Christendom geen ingang vindt, dan of de tijd daarin verandering heeft te weeg gebragt*, in opere, *Waarheid in Liefde*, 1841, II.

2. Neque tantummodo illo tempore inter Judaeos, sed et in genere humano omnium temporum eam esse peccati vim, cernitur inde, quod hocce peccati humani theatrum, in Jesu historia conspicuum, identidem in historia Ecclesiae est repetitum. Etenim uti ipsi Jesu Christo, ita ejus sectatoribus, Euangelium spirituale et divinum annuntiantibus, mundus vehementer restitit,

ita ut et lenta tantum Euangelii progressio fere esset, et vix usquam Ecclesia sit stabilita, nisi ante, ut ipsius Jesu, ita nunc sectatorum ejus sanguis esset effusus, primum Apostolorum, tum martyrum, postea v. c. Bonifacii a. 755, et hodie a. 1839 etiam missionarii Williams. Et vero similiter in ipsa Ecclesia Christiana asservata est vis tanta pristinae perversitatis, ut etiam in ea esset pars magna rebus adspectabilibus dedita; cui cum identidem resisterent germani Jesu sectatores, veri studiosi, virtutis spiritualis amantes et libertatis cupidi, et hi vexati crematique sunt, ut Pauliciani, Waldenses, Hussus et millena dirae Inquisitionis sacrificia. — Quid? quod peccati vim atque naturam, uti modo p. 122 seq. descripta est, Christiani ipsi et antea in semet ipsis experti sunt atque constanter in se devincendam habent, et quotidie in aliis ad Christum Deumque perducendis vident.

De peccato universe conf. *Instit. Theol. nat.* § XXXVIII, *Instit. Christ. mor.* § XI—XVI, et JULIUS MÜLLER, *Die christliche Lehre von der Sünde*, *Bresl.* 1844.

§ 61.

Conditionis, per peccatum depravatae, sequelae.

Haec conditio depravata et perversa pugnat cum natura hominis divina et cum destinatione, a Deo, ipsius felicitatem volente, constituta. Atque ita ea non potest non reddere hominem infelicem. Cum autem, licet sit depravatus, non cesset naturam habere divinam, èt infelicem ipse se sentit, èt non raro etiam expetit, ut miseriâ suâ liberetur.

I. Illius conditionis sequelae miserae per se spectatae sunt hae.

A. 1. Inde ab infantia cum id, quod spirituale est et divinum, non rite excolatur, coll. § 60, A, B, a., sentit necessario homo, qui ad id natus destinatusque est, sibi non satisfieri. Namque etiamsi vel corporea et externa omnia ei e votis cedant, in hisce rebus caducis et parum coelesti animo valentibus haeret miser, cum in solis aeternis illis et perfectis bonis acquiescere

naturâ suâ possit. Hinc imprimis a pueritia inde frequens vitae taedium.

2. Ab eo inde tempore, quo se homo magis exserit, id quod bonum est divinumque ad claram magis conscientiam adducitur cum per legem internam animi, tum per externam quoque, a religionis antistitibus, legislatoribus, philosophis in luce positam. Ideo et persentit et perspicit magis, talem se non esse, qualis esse et possit et debeat. Atque ideo inde ab adolescentia non taedii modo, sed etiam culpae sensus hominem cruciat. Conf. Rom. 7: 7 seq.

3. Quo magis ad maturam aetatem homo pervenit, eo magis et sibi et suis sortem experitur variam. Cum igitur perversus sit, hac perversitate sua ipse sibi suisque non raro sortem hanc miseram reddit; quo ipso dupliciter se sentit infelicem vel certe sentire debet, cum miseriam suam culpae tribuat suae. Insuper vero etiam calamitates vitae humanae universales ipsum ipsiusque familiam tangunt; cum autem non didicerit in superioribus et divinis sensibus studiisque, quae per calamitates perfici et debent et possunt, salutem quaerere, in illis calamitatibus contentus vivere nequit. Imo cum se noverit Deo adversantem peccatorem, calamitates etiam illas facile ut Dei irati poenas contemplatur. Calamitatem denique omnium maximam subiturus quum sit, mortem, hanc jam per omnem vitam metuit, ut miseriae culmen, imo ut vitae illius, in qua salutem omnem quaesivit, finem et interitum. Cumque culpae se plenum sentiat, aut nullam, aut certe non vere vitalem felicemque post mortem vitam sperare vel potest vel audet. Et sane quum jam hac in vita, in qua voluptates sensuales ei supersunt, calamitates et rerum externarum defectus eum infelicem reddant, quia communione cum Deo destitutus est, quumque per conscientiae insuper cruciatus haec ipsa vita tota non raro ei intolerabilis sit, exspectandum sane ei est, ut post mortem in pleno voluptatum sensualium defectu, per eandem a communione cum Deo aversionem, et per conscientiam, quae ei vitam terrenam totam deperditam exprobret, longe infelicissimus sit futu-

rus, imprimis etiam, quia separatio est futura bonorum malorumque, neque igitur mali ibi bonorum virtute continuo sint sublevandi, sed sua aliorumque perversitate unice cruciandi. Conf. Matth. 25: 41, coll. Joh. 3: 17—21, Luc. 13: 27, 28, 2 Thess. 1: 8, 9. Merito igitur jam hac in vita ejusmodi mortem metuit, Hebr. 2: 15.

4. Augetur haec peccati miseria eo, quod vivit homo depravatus ipse in societate pariter perversa. Ex hac enim oriuntur invidiae, fraudes, corruptiones in ipsum irruentes; quae cum bonum piumque hominem ad majorem virtutis vim excitent, perversum reddunt unice societate humana non contentum et spem animumque deponentem. Haec insuper societatis depravatio eo magis perversum hominem reddit miserum, quia ipse etiam illius in aliis, maxime in suis, conspicuae perversitatis auctor est. Cruciatur ergo eo quoque magis culpae suae sensu.

5. Culmen attingit haec miseria eo, quod, moderante Deo, vis naturalis poenaque ergo gravissima peccati est in ipsa hominis societatisque, ei indulgentis, depravatione ingravescente et sensim progrediente. Quo magis enim peccato indulget homo, eo magis ei penitus servit, vix amplius ei resistere potest, eique se cum desperatione tradit. Ut nempe sic per ipsam rerum naturam homo, perversitati indulgens, culpâ suâ magis magisque ad peccati servitutem et in bonis divinisque impotentiam procedat, atque in veram adeo perniciem ruat, sapienter Deus ordinavit hunc in finem, ut eo tandem certe peccati jugum plane intolerabile ac perversitatis pestis prorsus detestabilis illi fiat. Conf. Rom. 1: 24 seqq. coll. etiam Eph. 4: 19, item conf. Luc. 15: 15—19.

Sic ergo homo et genus humanum, quo magis peccato indulget, eo magis intus miserum se reddit et extrinsecus cum sortem suam tum societatem efficit miserrimam.

B. Haec omnia Euangelio accurate quidem non explicantur; quum illud generi humano non datum sit ad miseriam illam explicandam, sed ad eam patefaciendam et eâ homines liberandos: vel sic tamen exempla in N. F^{is} historia occurrentia rem illustrant, veluti Herodis Luc.

9: 7—9, Judae proditoris, Petri Magistrum abnegantis impenseque de hoc lugentis, et Pauli, qui pristinam suam perversitatem et contra Christi Ecclesiam odium per omnem vitam deploravit, 1 Cor. 15: 8, 9. Atque ipse hic Paulus, et sua edoctus experientia et philosophice etiam excultus, non pauca huc pertinentia egregie explicuit, maxime Rom. capp. 1, 2, 7. — Similia etiam occurrunt in Ecclesiae historia cum exempla miseriae e peccato ortae, tum conamina ejusdem philosophice explicandae. Et illa quidem maxime in gentibus, ubi peccatum magnopere regnabat, quum iis Euangelium annuntiabatur, v. c. insularum Australicarum incolis et Indis; haec maxime reperiuntur in praeconibus Euangelii et Theologis philosophis, hanc perversitatem mente volventibus. — Quod autem universe non explanatur in Euangelio, id ubique ut verissimum in eo sumitur, et Christiani igitur ipsi hasce sequelas peccati per Euangelium ex ipsorum aliorumque animo vitaque tolli et experiuntur et vident. Est enim hocce Euangelium totâ naturâ suâ ad id ipsum comparatum, ut, tollendo peccato hominisque naturâ ad ipsius destinationem excolendâ, et illud vitae taedium, et illum culpae sensum, et illam ex calamitatibus societateque perversa oriundam miseriam, et vero peccati servitutem mortemque hominis spiritualem tollat.

II. A. Haec miseria quo major est, eo magis ii certe, in quibus naturae excelsioris destinationisque divinae sensus prae caeteris viget, eam intolerabilem esse revera sentiunt; qui sensus miserrimus sequelarum paulo ante expositarum est complexus et fastigium. Peccatum enim pugna est contra naturam humanam, ad quam non pertinet, quam pessundare nequit, cujus vim adeo et praestantiam non raro in lucem magis protrahit, prouti civium male insurgentium conamina perniciosa veri bonique principis vim et excellentiam saepe magis excitant. Est peccatum vis in homine peregrina, ad ipsius naturam non pertinens, ipsumque in servitutem redigens; quare debet servitutis hoc jugum sentire, et per ipsam servitutis miseriam maxime adducitur, ut id sentiat et excutere cupiat, conf. Joh. 8: 34, Rom. 7: 23, 24.

Tale quid sensisse videtur etiam Ecclesia Lutherana, quum contra Flacii opinionem, peccatum in nobis esse *substantiam*, affirmaret, illud modo esse *accidens.*

Hinc igitur necessario factum est, ut omni aevo et imprimis temporibus insignis depravationis exsisterent emendationis meliorisque conditionis cum desideria tum et hujus efficiendae conamina. Atque ideo omni aevo certe aliqui fuerunt, qui naturae in homine divinae excellentiam aliquo saltem modo ostenderent et tuerentur; ut in illis ergo natura haec aliquatenus talis cerni posset, qualis descripta est § 58, A. Simul autem ex his nonnulli, quod desiderabant aut etiam ipsi conabantur neque tamen perficere valebant, id fore deinceps sperabant, vel etiam, Divini amoris recta cognitione nixi, vaticinabantur, conditionem ejusmodi meliorem olim in genere humano esse futuram. Ita depravatis gentis suae temporibus Philosophi Graeci atque Romani perfectum fingebant Sapientem ut unicum reipublicae sospitatorem, aut optabant Divinitus dandum hominum doctorem. Similibusque imprimis aetatibus inter Hebraeos Prophetae praedixerunt tempora meliora Messiamque, perfectum et Divinum gentis suae et aliorum etiam populorum servatorem futurum. Neque desunt talia desideria inter Gentiles etiamnunc et inter Mohammedanos. — Omnium vero maxime in Ecclesia Christiana, quoties peccati vis ipsam insigniter depravasset, exstiterunt emendandi et reformandi conamina efficacissima, et, quo magis ipsa floret, eo ardentius ipsi est peccatum e mundo tollendi studium.

De Mohammedanis conf. MICHAUD *et* POUJOULAT, *Correspondance d'Orient*, imprimis T. VIII, Ep. 163, 164.

B. Et haec in Euangelio explicari quidem non poterant, utpote desideria gentis humanae non describente, sed iis satisfaciente. Vel sic tamen, et saepissime ad illa vaticinia respexerunt Jesus ejusque Apostoli, et diserte illud gentis humanae desiderium cum agnovit tum comprobavit ipse Jesus, Luc. 10: 23, 24. Vita vero sua omnique opere suo hocce desiderium in Ecclesia perpetuo excitavit atque inflammavit.

E. Anthropologiae conclusio.

§ 62.

Quis igitur est homo?

1. Vidimus itaque, genus humanum ingenio esse Deo cognatum eoque ipso ejus, quod Divinum est, capacem esse hominem. Itaque possumus *ζητεῖν τὸν Κύριον, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν*, Act. 17: 27, 28.

2. Vidimus item, huic ingenio convenientem hominibus esse Divinitus destinationem eam, ut intime cum Deo consociati singuli conjunctique indole fiant Divini, *θείας κοινωνοὶ φύσεως*, 2 Petr. 1: 4.

3. Sed corporis terreni rerumque sensibilium studio pellectum, genus humanum peccato sese tradidit, id est egoismo, qui animus est a Deo separatus Deique indoli, quae amore continetur, contrarius. Sunt eo igitur homines *φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι*, 2 Tim. 3: 2, 4.

4. Quae conditio hominis generisque humani quum sit ingenio ejus destinationique penitus adversans, ingeniique vim adeo impediens, ut destinationem suam attingere suâ vi nequeat, miser est homo et desiderio agitur conditionis, ingenio destinationique suae Divinae congruentis, ut fateri cogatur: *ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται;* Rom. 7: 24.

PARTIS PRIORIS

SIVE

DOGMATICES

SECTIO IV.

SOTERIOLOGIA.

A. Praeparatio.

§ 63.

Soteriologia quid sit et undenam petenda.

Ultimo loco, secundum § 20, exponenda est Soteriologia, id est disquisitio de modo, quo oritur, est perficiturque religio Christiana in singulis hominibus totoque genere humano. Haec appellatur *Soteriologia*, ὁ λόγος περὶ τῆς σωτηρίας, quia agit de humani generis, per peccatum sive a Deo aversionem miseri, verâ salute, positâ in hoc ipso, quod ad intimam cum Deo conjunctionem, id est ad verissimam religionem, perducitur; conf. § 34.

Haec Soteriologia separatim nunc tractanda restat. Namque vidimus quidem de fonte Christo, ac quid, e fonte hoc, derivandum sit de religionis objecto, Deo, et de religionis subjecto, homine; sed jam superest, ut de hac ipsa religione, sive de copula, quae Deum inter et hominem intercedere debet, ipsa agamus; conf. § 11.

Statim ergo jam apparet, hanc Sectionem summi in re nostra esse momenti, ita quidem ut Sectiones antecedentes considerari debeant tanquam praeparantes hancce, in qua proprie positum est praecipuum consilium Dogmatices, utpote disquisitionis de *religione* una verissima.

Non male ergo Antiqui expositionem religionis Christianae vocabant *τὸν λόγον τῆς σωτηρίας*, *τὸν λόγον σωτήριον*, *doctrinam salutis*, atque libri, omnem de religione Christiana doctrinam populariter exponentes, a Nostratibus saepius insigniuntur nomine: *De weg der zaligheid*, *De weg des heils*.

Haec Soteriologia non potest tantummodo immediate peti ex Jesu Christi persona et historia. Est enim disquisitio de copula, quae homini cum Deo intercedit, quaeque pendet necessario ex natura illius Dei illiusque hominis cum Deo copulandi. Ergo disquisitio haec eruenda est imprimis ex Theologia atque Anthropologia, jam e Jesu Christo potissimum haustis. — Quamquam autem non adeo immediate ex Jesu Christi persona sit efficienda Soteriologia, tamen illa ipsa et nunc primario quodam loco spectanda est. Namque Jesus Christus ille non venit imprimis in hunc mundum, ut Deum patefaceret, aut ut hominem cognoscendum praeberet, tanquam Doctor, sed omnium maxime, ut ipsam hanc copulam Deum inter et homines efficeret, sive ut, a peccato homines revocans, in iis, et conjunctis quidem inter se, religionem veram excitaret, utpote humani generis Conservator et Beator; coll. § 9. Itaque constanter respiciendum est, quomodo ille hanc effecerit atque etiamnum efficiat communionem societatemque hominum Divinam.

Plato in chartis *finxit* rempublicam, qua cives fieri felices possent; Jesus Ecclesiam in mundo *fundavit*, qua homines fiunt felicissimi. Hoc ejus opus, hic labor erat. — Et hanc in rem docuit quidem, imo et vitâ, morte atque resurrectione multum egit, sed quae egit agitque, omnia in *Ecclesiae* suae fundationem et perfectionem conspirant, § 35. — *Salutis* autem, quam efficit, pars quidem continetur eo, quod peccato homines liberat, sed et hoc ipsum effecit efficitque etiamnum per Ecclesiam, quam fundavit perficitque, et liberat peccato eum ipsum in finem, ut in hacce homines cum Deo atque ita secum invicem conjunctissimos reddat verissimâ religione, § 9, 34, 36; conf. etiam § 47, num. 3.

§ 64.

Soteriologia qualis variis temporibus fuerit.

In antiquitate ante Christum in eo fere salutem posuerunt optimi quique, ut Dei favore fruerentur. Sed modum hujus favoris nanciscendi alii, iique minus exculti, fere quaesiverunt in cultu Dei externo, donis Deo offerendis omninoque in actionibus Deo gratis habitis ideoque Dei favorem conciliaturis. Alii, iique cultiores aut etiam philosophi, modum illum magis in eo posuerunt, ut ipsi se Deo similes redderent eoque sibi Dei amorem parerent ipsi. Apud Hebraeos haec imprimis formam habent obedientiae, regi Jehovae sese subjicientis eoque ipso favorem ipsius acquirentis.

Quodsi Ecclesiae Christianae Soteriologiam historice contemplamur, videmus eam singulis aevis arctissime cum Theologiae et Anthropologiae, item cum Christologiae naturâ fuisse conjunctam, igiturque harum historiam cum illius historica contemplatione constanter esse comparandam. Conf. ergo § 25, 43, 55.

1. Jesus incepit a regno Divino annuntiando et ad *μετάνοιαν* incitando. Deinde hujus salutis consequendae constanter et dixit et ostendit hominibus viam esse, ut *fidem et amorem* habeant, initio magis postulans fidem in se et Deum reponendam, deinde magis amorem erga se, Deum et homines fovendum. Apostolorum sodalitio conjungendo ipsa regni illius Divini, *Foederis novi*, *Ecclesiae* suae, jecit fundamenta, in qua omnes, ut Dei filii, Deum, ut Patrem, se invicem, ut fratres, diligerent. Pro hocce regno spirituali et Divino facile omnia, vitam adeo terrenam, esse sacrificanda, suo ipse ostendit exemplo

2. Apostoli id studuerunt *efficere, ut homines omnes Jesu Christo confidendo eumque sequendo ad Deum adducerentur patrem, ut germani ipsius filii.* Conjunctionem hanc hominum cum Deo intimam maxime Johannes verbis enuntiavit; methodum novam, qua eam Deus per Christum ejusque Ecclesiam in homine et humano genere efficit, maxime Paulus explicuit. Spiritualis hujus et aeternae Divinaeque vitae possessio heroicam in iis vim habuit, qua vilipenderent terrena omnia, si ad illam provehendam essent sacrificanda.

3. Ecclesia Graeco-Orientalis, philosophos antiquos in multis secuta, salutem imprimis posuit in *hominis cum Deo similitudine* tali, qua ille corpus deprimeret, spiritum excoleret, id autem adsequeretur non philosophiae antiquae, sed potissimum rei Christianae ope, in qua Jesum Christum videbant sibi esse sequendum: de hoc enim quantumvis theoretice disputarent, id practice semper tenuerunt, Divinam eam personam esse hominem factam, ut nos homines Divini evaderemus. Hunc in finem autem rem Christianam hancce tendere existimabant, utpote γνῶσιν μεγίστην sive *philosophiam summam;* quam qui non caperent satis, incultiores homines in fide aliis habita subsistere debebant. Erat vero illa γνῶσις apud haereticos magis speculativa et theosopha, apud orthodoxos magis practica et religiosa; quare hi illam dicere ψευδώνυμον, suam vero ἀληθινὴν γνῶσιν solebant. Corporis depressione mundique fugâ omnium maxime scopum illum attingendum esse censuerunt Ascetae.

4. In Ecclesia Latina, utpote in antiquo imperio Romano vigente, facillime invalescebat sententia veteris Theocratiae Hebraicae. Hinc in ea dominabatur *obedientiae*, Deo praestandae, notio. Cumque ab hac *Deo* praestanda obedientia inciperetur, sensim ejus loco substituta est notio obedientiae, quae *Ecclesiae*, sed verae, i. e. *Catholicae*, esset praestanda, siquidem huic, ut matri, obsequi deberet, qui Dei vellet, ut patris, *favore* uti. Hanc in rem autem tendere debebat *fides nixa auctoritati Divinae*, quae auctoritas maxime in Jesu Christo Apostolisque, sed sensim pariter in Ecclesia conspiciebatur. Obedientia illa, praeeuntibus Montanistis fanaticis, sensim magis continebatur *operibus bonis* asceticis, cultum sacrum Ethnicorum externum, Deorum favori sibi conciliando inservientem, referentibus.

5. Augustinus, ex sua ipsius experientia imprimis hauriens, docuit et vindicare studuit, hominem, peccati servum, non meritis suis in Dei favorem restitui posse, sed liberâ eâque irresistibili *Dei gratiâ eligi*, ut ad Deum reducatur. Hanc autem cum Deo conjunctionem posuit in sanctitate, sive *amore Dei* cum contemtu sui.

6. Quae antea jam in Ecclesia invaluerat, haec in medii aevi barbarie magisque regnare paene universe coepit opinio incultiorum in antiquitate hominum, ritibus externis contineri religionem, et *operibus bonis*, iisque modo *operatis*, ut meritis, acquiri *favorem Dei*. Quare salutis methodus unice constabat agendis poenitentiis et operibus bonis, ab Ecclesia impositis, cujus placitis omnibus *fides implicita* erat habenda.

Inter haec placita praecipuum locum occupabat dogma de Jesu Christo, qui morte sua satisfecisset Divinae justitiae, cujus satisfactionis fructum homines sibi acquirere deberent fide et operibus. — Jam ergo prorsus immutata erat pristina Ecclesiae Graeco-Orientalis ratio, quae positivam laudaverat hanc Jesu Christi vim, ut Deo similes nos redderet; nam Latina nunc negativam modo celebravit vim hancce, qua nos poenis Divinis liberaret Jesus.

7. Huic jejunitati sese opponentes et excelsius quid quaerentes, Mystici, Augustinum secuti ulteriusque quam hic procedentes, in aliud fere extremum ruerunt. Abstinentiâ a mundo, contritione animi et omnino *mortificatione sui* perveniendum existimarunt ad *unionem cum Deo* talem, quali hominis vita propria penitus evanesceret.

8. Inter Reformatores, qui et ipsi cum cultioribus sui temporis Christianis in externis illis subsistere non poterant, prae caeteris Lutherus salutem quaesivit in *justificatione*, id est in gratuita actione Dei ob Christi merita peccatorum reatu nos absolventis et favore suo prosequentis. Methodum autem hujus consequendae posuerunt in *fide*, quae iis fere erat fiducia, in illâ gratuitâ Dei actione reposita. Inter Protestantes autem permulti deinde sic de hac fide existimarunt, ut orthodoxiam, id est assensum intellectu praestitum doctrinae Ecclesiasticae, paene illi fiduciae substituerent.

9. In Ecclesia Romano-Catholica Reformationis vis apud plerosque quidem parum sensa est, vulgusque adeo in operum externorum meritis subsistere perrexit. Sed sentiebatur illa maxime a cultioribus, inter quos impri-

mis Jansenistae, Augustinum secuti, *gratiam Dei* quoque laudarunt, qua Christiani per Christi medelam a peccati morbo ad *sanctitatem* reducerentur.

Hi igitur Romano-Catholici quidem erant, quatenus et ipsi Ecclesiae suae ejusque sacramentis prorsus adhaerebant; sed Ecclesiae sacramentorumque vim existimabant esse moralem, non mechanicam, prouti Jesuitae. Huic sententiae consentaneum est, quod porro etiam Jansenistae, uti Protestantes, loqui amant de *gratia* Dei, dum reliqui Romano-Catholici potius loquuntur de *gratiis* Divinis, i. e. donis singularibus.

10. Posterioribus temporibus magis magisque moralis hominis ratio in honore fuit. Itaque minus inquisitum est in naturam ipsam conjunctionis cum Deo, quam in modum, quo homo ad conjunctionem illam pervenire debeat. Hunc Spenerus in *pietatis exercitiis* posuit, Methodistae in *methodo certâ regenerationis*, omnibus eâdem, quaesiverunt; dum Kantius ejusque multi sectatores, Theologi Rationalistae dicti, *virtutem puram* volebant, tanquam summum, ad quod duceret ut medium religio. — *Religionis* vim denuo revocare in vitam, eamque ecclesiasticam, studuit omnium maxime Schleiermacher.

Hic igitur praecipuam Christi vim in eo positam esse docuit, quod, ipse vitâ sanctâ et Deo plenâ praeditus, vitam hanc cum suis communicat; vid. *Der christl. Glaube*, T. II, p. 10—21, 103—122. — Rei Christianae naturam sic optime proponi, ut dicatur, per junctam in Christo humanitatem et Divinitatem, vita humana fieri divina, atque ut et fidei doctrina et ethica, et liberatio a peccato et reconciliatio cum Deo, verbo omnia dicantur tendere eo, ut, per Divinum hominem Jesum Christum, homines ad communionem et similitudinem cum Deo perducantur, egregie exposuit ULLMANN, *Ueber den unterscheidenden Charakter des Christenthums*, in *Theol. Stud. u. Krit.* 1845, I, p. 7 seqq.; quae commentatio deinde separatim etiam edita, itemque Nederlandice versa est: *Het wezen des Christendoms, of des menschen eenheid met God, Utrecht* 1846.

Quod hactenus explicitum nullo modo erat, ad hoc tandem nostro aevo magis attendi coeptum est, ut vita Christianorum hac in terra spiritualis consideretur tanquam initium vitae eorum sempiternae, post mortem quoque agendae. Unde factum, ut de hujus conditionis post mortem futurae naturâ et cum conditione praesenti vinculo, sive de *Eschatologia*, accuratius disquiri inciperetur.

§ 65.

Soteriologia quomodo nunc tractanda.

1. Soteriologia, utpote disquisitio de conjunctione ipsa Deum inter et hominem, est finis ad quem tota Theologia dogmatica tendit. Haec enim, quae rem Christianam ut *religionem* verissimam spectare studet, parum faciat, si in solo aut Deo aut homine aut etiam utroque ex Christo cognoscendo subsistat. Imo religionem ipsam, id est conjunctionem illius hominis generisque humani cum Deo illo, per Christum oriundam, perspiciat oportet.

2. Non ab una modo parte haec conjunctio spectanda est, sive a parte Dei salutem efficientis, sive a parte hominum hanc sibi acquirentium; neque a parte Dei tantummodo spectandum unum est, quod acquiratur, veluti ipsius favor, neque ab hominum parte tantummodo unum aliquid, quo conjunctionem cum Deo acquirant, veluti virtus; neque aut solum ejus initium aut ejus imperfecta his in terris conditio sola est consideranda; neque etiam aut singuli modo homines, aut neglectis singulis genus universum humanum est spectandum.

3. Sunt ergo quatuor haec in universa Soteriologia inquirenda eaque secum invicem conjuncta: quomodo Deus in hominem agat, ut hunc secum conjungat conjunctumque teneat perpetuo; quomodo homo hanc Dei vim libere ipse suscipiat, ut se cum Deo conjungat eique adhaereat; quomodo haec locum habeant in hominibus singulis etiam per Ecclesiae societatem; et quomodo in Ecclesia et genere humano toto id peragatur et perficia-

tur etiam per singulos homines, Divinitus ad id actos. In his autem singulis in Soteriologia hacce Christiana centrum omnium sit necesse est ipse Jesus Christus, quippe qui non modo veram salutem *cognoscendam* praebuit, Doctor, sed salutem hanc, quam ipse habet perfectam, ad sui similitudinem in aliis constanter *efficit*, a Deo constitutus, ab hominibus singulis et genere humano toto suscipiendus, Conservator et Beator, Σωτὴρ, unde *σωτήρια*, atque adeo ipsum *Soteriologiae* quoque nomen.

4. Ordo optimus videtur, qui jam est § 11 significatus, ut agatur de hujus conjunctionis hominem inter et Deum origine primum, deinde natura, tum progressu, denique perfectione.

B. Salutis origo.

§ 66.

Conjunctionis hominem inter et Deum origo et initium.

A. Origo nostrae cum Deo conjunctionis non in nobis hominibus quaerenda est, sed in Deo, et in Dei quidem amore, qui est in omnibus, maxime vero in Jesu Christo conspicuus, quique erga nos demonstratus est, Deo cognatos quidem, sed etiam ab ipso per peccatum aversos; atque adeo origo haec est in amore Dei gratuito paternoque erga liberos ab ipso aversos.

Hunc amorem Deus uti in Christo omnium maxime patefecit, ita ejus sensum atque cognitionem ad animum mentemque singulorum perfert per Ecclesiae, a Christo rectae, vim institutricem, imprimis ope annuntiationis Euangelii.

Quomodo huc tendat Euangelium, ut ipsius Christi annuntiatio, nemo Apostolorum tam a variis partibus perspexit et commendavit, quam Paulus; vid PAREAU, *Waarin vindt Paulus de verlossende kracht van Jezus Christus? Vindt hij die in Jezus leer, of alleen in zijnen dood, of ook in zijne zending door den Vader, in zijn leven op aarde, zijne opstanding, zijn leven*

in den hemel, en dus in zijne geheele verschijning onder het menschdom? atque: *Welk nut heeft die voorstelling van Paulus voor ons ter regte kennis waardering en aanwending van het Evangelie?* in *Waarh. in Liefde*, 1838, III, IV.

Tendit hicce gratuitus Patris amor eo, ut fidem in liberis iisque peccatoribus efficiat, ipsius amori habendam, quo ipso hosce ad se trahat et secum conjungat. Itaque Dei patris beneficio si utitur homo, adducitur ad cognitionem cum sui tum Dei. Cognito huic amori Divino si non resistit sed libere obsequitur, homo fidem Patris amori habet; atque ideo et metum Dei, e peccato ortum, deponit, et audet ipsius favorem cum fiducia implorare, et dolet aversionem suam a Patre atque ab hac recedere vult, et non desperat de salute sua spirituali amplius, sed Dei, patris sui, amori totum se informandum confidit. Ita ergo tota jam aliqua interna oritur conversio sive animi regeneratio.

Ut ergo a Dei parte origo est in Dei per Christum demonstrato *amore gratuito* summo, ita in homine initium est in eo, ut patri Deo penitus *sese confidat.*

Hoc si tenemus, salutis humanae summae in Deo quidem positam originem in eo quaerendam esse, quod Deus amorem gratuitum summum demonstravit, in hominibus vero necessarium initium in eo esse, quod huic Deo, ut patri suo, sese plane confidant, nunc clarius etiam, quam antea, perspici potest, huic summo Dei consilio exsequendo salutique igitur humanae maximae reapse efficiendae solam Jesu Christi, Dei Filii, missionem atque specialiter etiam ipsius mortem plane satisfacere potuisse. — Namque, etiamsi genus humanum peccato non esset deditum, tamen per solum huncce perfectissimum planeque Divinum hominem effici potuisset, ut omnes, tanquam adulti Dei filii, sese penitus Deo, ut patri suo, confiderent et ad summam Divinamque informarentur sanctitatem. Tum vero neque humanum genus huncce Divinum Ducem suum cruci affixisset, neque aut Deo ad consilium illud exsequendum aut hominibus ad salutem illam suscipiendam opus fuis-

fuisset, Conservatore cruci affixo. Conf. § 47, num. 3. — Nunc vero, cum peccato subesset genus humanum, hujusmodi Conservator solummodo Dei consilio hominumque necessitati satisfacere poterat; quare ἔπρεπεν αὐτῷ, δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι, et nobis hominibus τοιοῦτος ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, conf. Hebr. 2: 10, c. 7: 26. Namque primum, sic demum, quod aderat peccatum, vim suam naturamque penitus patefecit. Qua patefactione opus erat èt humano generi, ut, ad plenam peccati conscientiam adductum, peccato hocce liberari posset, èt Deo igitur ipsi, ut posset, peccato liberandis hominibus, hosce beare. Conf. Rom. 7: 13. Deinde sic demum sanctissimum simul et maximum, quo ducebatur, amorem genti humanae peccatrici demonstravit Deus, ostendendo, Filium dilectissimum se non tantum ei mittere, sed morti adeo pro ea tradere posse, ut peccato eam liberaret, ipsam vero aut propter peccati culpam amore suo destituere, aut peccato inquinatam beare, nullo modo posse; quae sancti summique amoris demonstratio necessaria erat cum humano generi, ut posset atque vellet lubenter condonanti eidemque sanctissimo Patri sese confidere, tum Deo igitur ipsi, ut amoris summi sanctique, quo ducebatur, consilium reapse exsequeretur. Conf. Rom. 3: 25, 26. Praeterea sic demum in ipso genere humano exstitit Dei Filius, qui Deo, ut patri, sese penitus confideret et in mediis etiam calamitatibus atque morte horrenda ei se plane consecraret, simulque, cum in generis humani salutem id ipsum perferret, homines amore suo alliceret ad se et secum jungeret, ut eodem, quo ipse, spiritu animati pariter Deo se totos traderent, ut patri filios: quo hominum duce, Deo plane devoto, opus erat èt hominibus hisce, ut, in calamitatibus etiam ipsaque morte, amantissimo se confiderent patri Deo, atque in malis quoque peccati causa perferendis Deo se consecrarent in fratrum salutem, èt Deo propterea ipsi, ut per huncce Filium sanctissimum posset omnes, ut adultos suos filios, sanctificare atque perficere. Conf. Hebr.

2: 10, c. 5: 9, c. 10: 9, 10, 14. Ergo Jesu mors *peccatum hominum*, *amorem Dei* et *fidem Jesu Christi* non modo docet, sed aperit et patefacit; quare ad plane perficiendum beandumque genus humanum uti absolute missio Dei Filii, ita peccati causa hujus etiam mors erat necessaria hominibus et propter hosce ipsi Deo. Sive, Deus, qui *fuit semper* gratuito amans atque volens, ut homines se ipsi ut patri confiderent, generi humano, ad id praeparato, dedit illum Conservatorem atque Ducem, qui unus *exsequendo* Dei ipsius consilio atque reapse *efficiendae* saluti humanae satisfacit. Conf. Rom. 3: 31 et c. 4, atque 1 Joh. 4: 8^{b}—19. Itaque quod Dei hominisque natura postulabat, id per Jesum Christum *efficit* Deus; ita ut conjunctionis hominem inter et Deum intimae reapse adsit origo in summo Dei *amore gratuito* demonstrato posita, atque initium in eo conspicuum, ut homo se patri Deo penitus *confidat*.

In V. F[is] libris jam *agnosci* Dei amorem condonantem et veniam peccatorum, etiam sine sacrificiis, per fidem comparandam, ostendit VAN OORDT, *Een woord over verzoening der zonden volgens het Oude Testament*, in *Waarheid in Liefde*, 1846, III. Sed, quod Dei hominumque natura postulat, Euangelio *effici*, docuit idem, *Het Evangelie, dat tot zondaren komt, gegrond in de natuur van God en overeenkomende met de natuur des menschen*, *Gedachten over* 1 Joh. 1: 9, ibid. 1839, II.

Duo illa praecipua, Dei *amorem gratuitum* esse, cui homo *sese confidat*, in N. F[is] libris ubique commemorantur, et quidem ubique eodem fere modo. Fons ille omnis conjunctionis, in Deo quaerendus, constanter a Jesu ἀγάπη, a Paulo vel ἀγάπη vel χάρις, hoc initium, in hominibus ipsis positum, fere ubique Jesu Apostolisque πίστις appellatur. Conf. C. BOON, *Over het woord „genade"*, in *Waarh. in Liefde*, 1845, III.

Cognitio ea Dei atque sui, qua gaudent qui Christo utuntur institutore, a Paulo insignita est σοφίας nomine, praecipue in Epistolis ad Corinthios, Graecos.

Illam Dei actionem, qua nostra peccata non respicit, sed, quamvis simus perversi, nos diligere pergit

idque nobis ostendit, Jesus atque Paulus appellant τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, quam Deus per Christum et imprimis per Christi mortem, concedit omnibus, quaque fruuntur fidentes omnes. — Sed hoc non ita intelligendum, quasi mors Christi sit causa, quae apud Deum meruerit vel effecerit amorem condonantem sive peccatorum veniam. Haec enim ab ipso Jesu jam data est ante ipsius mortem ac sine ullâ mortis ratione habitâ, v. c. Matth. 9: 2—8, Luc. 15: 20, imo jam sub V. F. concessa a Deo, etiam sine sacrificiis, conf. Ps. 32, et VAN OORDT, l. l. *W. in L.* 1846, III. Christi mors summum est documentum amoris Divini peccata condonantis, simulque a peccato abhorrentis et ad sanctitatem ducentis. Itaque non *ob* Christum mortemque ejus, sed *per* Christum ipsiusque mortem nos acquirimus et plenam persuasionem et omnem fructum veniae peccatorum, Dei amore concessae; conf. § 47, n. 2—5. — Christi mors etiam proponitur tanquam amnestia Act. 17: 30, qua venia peccatorum, sub veteri oeconomia patratorum concedatur, ut jam sub nova peccatis abstineamus; conf. Rom. 3: 26, Hebr. 9: 15, item Jerem. 31: 31—34. — Neque negligendum, Deum concedere quidem *peccatorum* (τῶν ἁμαρτῶν) hujusque illiusve peccati sive actionis perversae veniam, non tamen peccati, i. e. indolis peccantis sive vitiositatis (τῆς ἁμαρτίας), quam negligere nequit ejus sanctitas, sed emendare debet; conf. Hebr. 9: 26—10: 4, add. *Waarh. in Liefde*, 1843, IV, p. 768, 769. — Item observandum, a Deo dari non veniam *poenarum* eo sensu, quasi tollantur statim omnes peccatorum sequelae, sed veniam *peccatorum*, qua certi sumus, aeque nos a Deo diligi paterno summoque amore acsi non peccassemus, quaque eâdem simul sequelae peccatorum non sunt amplius nobis poenae judiciales, sed paterni amoris castigationes, Hebr. 12: 5—11. Scilicet et experientia et Euangelium docet, nos *peccatorum* ipsorum vi et culpae sensu esse *infelices*, sed *sequelas* eorum esse *medelas* animi; conf. § 47 n. 3.

Illis igitur fidentibus persuasum est, peccata quasi obtecta esse, neque respici a Deo, sive, ut Paulus

et Johannes dicebant, phrasi a V. F^is ritibus desumta, per Christi, quasi victimae sanctissimae, mortem adesse ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν. Conf. § 46, p. 65, 66.

Qui, licet peccaverint, nunc Deo fidentes sunt, eo ipso in justa rectaque cum Deo, gratuito amante patre, relatione versantur, atque ideo Deus, ex Pauli dicendi ratione, eos ut δικαίους tractat et recipit adeo in societatem suam divinaeque Christi Ecclesiae salute donat. Vid. Phil. 3: 9; coll. imprimis Act. 26: 9—18. Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Wat God ons in J. C. openbaart omtrent zijne natuur en gezindheid, volgens de voorstelling van Paulus*, in *Waarh. in Liefde*, 1839, III, p. 577—589. Recte SCHLEIERMACHER, *Der christl. Glaube*, T. II, p. 180: „Das Aufgenommen werden in die Lebensgemeinschaft mit Christo „ist als verändertes Verhältniss des Menschen zu Gott „betrachtet seine Rechtfertigung, als veränderte Lebensform betrachtet seine Bekehrung."

Homines, qui aversi olim a Deo erant, Deus amore suo jam animo ad ipsum pronos reddit, quod Paulus appellat τὴν καταλλαγὴν τοῦ κόσμου πρὸς τὸν Θεὸν, vid. imprimis 2 Cor. 5: 18—20. Observandum autem, in libro quidem V. F^is apocrypho, Ethnicismum redolente, 2 Macc. 1: 5, c. 7: 33, c. 8: 29 dici Deum καταλλάσσεσθαι, sed puro Hebraismo convenienter in N. F. constanter dici Deum καταλλάσσειν, homines vero καταλλάσσεσθαι, conf. Rom. 5: 10, Eph. 2: 16, Col. 1: 20, 22. Est etiam καταλλαγὴ hominum inter se et cum coelicolis, de qua deinceps dicendi erit locus. Bene vero distinguenda sunt vocabula ἱλασμὸς et καταλλαγὴ, quamvis utrumque vernacule reddatur *verzoening;* illud (Germanis *Sühne*) dicitur de *peccatis* iisque quasi *obtectis*, hoc (Germanis *Versöhnung*) de *hominibus* iisque *reconciliandis;* vid. VAN DER LOEFF, *Verhandeling over de verzoening der zonden door J. C.*, in *Waarh. in Liefde*, 1843, II.

Immutatio illa si respicitur, ut liberatio a peccato ipsiusque effectibus noxiis, potest cum Paulo dici ἀπολύτρωσις. Si reputatur esse directionis totius animi inversio, cum Jesu Apostolisque appellari meretur

μετάνοια, vel etiam, imprimis si cum vitae externae inversione conjuncta est animi conversio, ἐπιστροφή. Si ut initium consideratur totius vitae novae deinceps agendae, cum Jesu merito dicitur *regeneratio* sive *nova desuper nativitas*, παλιγγενεσία, ἄνωθεν γεννηθῆναι, proponiturque, ut rerum spiritualium coelestiumque modo quasi introitus, quo veluti in margine coeli versantur, Joh. 3: 12. Si contemplaris eam, ut vitae pristinae finem novaeque initium, est *depositio hominis veteris* et *assumtio hominis novi*, sive καθαρισμὸς, *purgatio a sordibus antiquis*, et ἁγιασμὸς, *sanctificatio animi novi.*

Caeterum haec N. F[is] doctrina de *gratia Dei*, cui nos *fidem* habere debeamus, instaurata est per Reformatores saeculo XVI; ita vero ut rem universam egregie sentientes, multa adhuc minus accurate proponerent. Quomodo altera ab altera pendeat, exposuit VAN OORDT, *Over het verband van vergeving van zonden en de heiliging des menschen*, in *Waarh in Liefde*, 1837, II. Adde PAREAU, *Over Ephes.* 2: 8—10, ibid. 1838, IV.

B. Hujusmodi origo et initium conjunctionis hominem inter et Deum congruit naturae cum Dei tum hominis. Deus enim naturâ suâ totus quantus est amor, idemque conjunctionis omnis cum ipso auctor est et principium, sive Pater est, liberos ipse secum conjungens; conf. § 46—51. Homines autem Deo cognati sunt eoque ipso et sentire et cognoscere amoris Divini vim possunt, atque ideo possunt ei se confidere. Iidemque tum ut Deo inferiores liberi, tum vero maxime ut peccato a Patre aversi, unice gratuito Patris amori confidendo ad eum accedere et redire possunt, atque sic destinationi suae respondere. Conf. Luc. 15: 17—20, § 57—61.

C. 1. Ejusmodi etiam fidem Dei paterno amori habendam excitare semper studuit ipse Jesus. Miraculis, et beneficis quidem illis, totâque personâ suâ, hominum amantissimâ, attentionem movebat. Deum, ut patrem, qualis cognitus nondum erat, patefaciebat; instituendo, ut ad hanc patefactionem attenderent homines, efficie-

bat, Joh. 14: 4—11. Homines ipsos sibi patefaciebat iisque cognitam reddebat cum praestantiam, Joh. 1: 43, 48, tum perversitatem, Joh. 3: 10, c. 4: 18. Sic liberam et inconcussam excitabat in suis fiduciam, sentientibus quippe, unice ipso auctore posse mala omnia vinci, bona quaeque in se excitari, conservari et perfici, Joh. 6: 67—69. Vitâ vero suâ plenam in multis regenerationem efficere Dei Filius non potuit, nisi accederet etiam ipsius mors et e morte in vitam, eamque coelestem, reditus; quam utramque uno ὑψώσεως nomine ipse Jesus designavit, Joh. 3: 14, c. 8: 28, c. 12: 32. Ita scilicet, docente historia, Jesus et suam praestantiam spiritualem amoremque summum patefecit; et fecit, ut genus humanum, peccato suo indulgendo ad peccati hujus, ipsum adeo Dei Filium rejicientis, pestiferam naturam persentiendam et perspiciendam adduceretur, et manifestavit simul Dei infinitam gratiam, vel Filium ipsum generi humano peccanti tradentis et in ejusdem salutem e morte illum in vitam revocantis. Conf. § 35, 36 et p. 147—149.

Mors haec Jesu Christi qualis in historia apparet, talis etiam constanter in N. F. decribitur, ut res, quam *egerunt* homines, quam *passus* est Jesus Christus, quam *permisit* et *moderatus est* providentiâ suâ Deus. Vid. H. HUIJSERS, *Specimen, quo Jesu de morte sua effata colliguntur atque exponuntur*, *Gron.* 1838. Opus fuisse Jesu morte, ut hominum fidem ipse sibi conciliaret, ostendit SCHUKKING, *Verhandeling over de redenen, welke Jezus gebruikt, om de menschen tot het geloof in Hem te bewegen*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, II. Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Overzigt van hetgeen het N. V. ons leert omtrent den dood van J. C.*, ibid. 1843, IV, et, *Uitlegkundige opmerkingen over het* willen, moeten *en* betamen, *omtrent den dood onzes Heeren in het N. V. voorkomende*, 1846, II; item citati supra p. 80.

2. Quod in terris versans nonnullis modo unius fere gentis hominibus praestare potuit, id coelitus pergit efficere Jesus Christus in genere humano toto. Universe

quidem, docente hoc nostrâ etiam ipsorum experientiâ, id efficit per Ecclesiam suam, ipsius spiritu animatam ipsiusque exemplum sequentem, atque ita singulos instituentem, peculiariter ope praedicationis Euangelii, quo ipsius vita omnis et mors et in vitam eamque coelestem revocatio omnium oculis animisque proponitur, aptissima illa et efficacissima ad excitandam fidem, ipsius Deique amori habendam. Vere autem per Ecclesiam ipse id efficere Jesus Christus dicendus est, qui omnia moderatur, et singulorum cunctorumque sortem regit sapientissimo sanctoque et summo amore.

Hoc nisi verum esset, Jesus Christus suorum, dum in terra esset, aequalium quidem vere Dux, Conservator, Beator fuisse dicendus foret, nobis vero tantummodo conservationis, beatitatis et viae, ad hanc ducentis, Doctor, non autem vero nomine Σωτήρ. Hîc igitur omnium maxime *sentiri* penitus potest, quanti pretii in Dogmatica Christiana sit, non modo Jesum, uti ante octodecim saecula hac in terra vixit, mortuus est et in vitam rediit atque in coelum abiit, respicere, sed etiam eundem Christum, perpetuum per saeculorum decursum Ecclesiae principem, moderatorem et singulorum quoque Christianorum Ducem, sive viventem agentemque perpetuo Conservatorem ob oculos tenere. Conf. igitur § 24, 31, 35, 36 et alibi passim.

Quo magis autem pateat, eum revera ipsum constanter agere, ut et singulos et Ecclesiam universam emendet, perficiat, beet, possunt, uti in terrena ipsius vita, ita quoque in coelesti hac ipsius curâ salutari specialia etiam quaedam observari. Huc imprimis pertinent Pentecostes festum, quo amicis suis vim tribuebat, publice ipsius Ecclesiam condendi; Pauli institutio, qui per Stephani cum dicta tum mortem imprimis praeparatus, per apparitionem viventis Domini coelestis in via Damascena eo adductus est, ut ex inimicissimo adversario in amicum ardentissimum converteretur, et deinceps etiam per Judaeorum invidiam et odium est coactus, ut inter Gentiles Euangelium praedicaret; porro Bonifacii vita, amo-

ris et sapientiae specimen, ejusdemque mors, qua pariter Jesum Christum secutus est, qua utrâque inter Germanos fundata est Christi Ecclesia; Lutheri denique informatio, qua hic vitae monasticae inanem rationem ipse primum sentiret et Euangelio cognoscendo ad Dei Christique gratiam persentiendam perduceretur, ut sic, ipse reformatus a Christo, exsisteret Christianae Ecclesiae reformator. Ita ergo Christus in singulis et in genere humano universo magis magisque, per fidem amori Divino habitam, τὴν ἄνωθεν γέννησιν sive παλιγγενεσίαν efficit.

C. Salutis natura.

§ 67.

Ejusdem natura.

A. Conjunctio ipsa hominem inter et Deum naturâ suâ est ex illa nova nativitate, quae § 66 descripta est, procedens vita nova, qua non in mundo sensuali et sibi, sed in coelestibus et Deo vivit homo.

Haec nova vita proprie et maxime est vita nova animi sentientis et expetentis, sive novum vitae principium internum. Namque cum non sensualis sit vita neque externa modo actionum ad normam quandam adaptatio, sed vita spiritualis, quae libere et sponte vivitur, intimum animum habere sedem necessario debet. Conf. § 10.

Cum autem ejusmodi sit vita spiritualis cum Deo juncta, haec non potest esse metus servilis, neque obedientia legalis, neque etiam αὐτονομία aliqua. Est vita libera, lubenter Deo se vovens, tota a Dei nutu pendens.

Jam vero vita haec a quacunque parte conspiciatur, est vita hominis non sibi viventis, sed cum Deo intime juncti. Quodsi autem eam contemplaris, quatenus homo amori Dei praevenienti obsequitur, *fides* est, qua patri Deo se confidunt liberi, quia vident ipsi, Deum esse patrem, cui totos se tradere possint et debeant. Sin ad eandem attendis, quatenus amori illi Dei penitus homo ipse a sua parte respondet, *amor* est, quo patrem Deum amantem redamant filii, eique amore similes fiunt.

Vita haec, uti vita omnis, non potest non vim suam exserere et sese patefacere. Cumque vita haec spiritualis prorsus ad internum hominem pertineat et supremo erga Deum amore, qui hominem totum regere debet, contineatur, ideo fieri nequit, quin ea insignem vim habeat seseque patefaciat et in omni modo, quo homo de rerum, quae eum cingunt atque in eum agunt, universo cogitat judicatque, et in modo, quo universum illud ipse efformat omninoque vicissim in illud ipse agit. Igitur vita illa animi nova et intellectui et pulcri sensui et voluntati in omnibus directionem praebet novam; qua intellectus quod vere bonum divinumque est in omnibus inquirit et a contrario discernit, pulcri sensus studiumque in artibus ipsum Artificem supremum, pulcro id quod bonum est sanctumque commendantem, sequitur, voluntas autem id quod sanctum est Deique consiliis consentaneum in omnibus efficere studet.

Hujus vitae spiritualis principium in N. F. dici solet πνεῦμα oppositum τῇ σαρκὶ, et πνεῦμα ἅγιον, sive πνεῦμα τοῦ Θεοῦ oppositum τῷ πνεύματι τοῦ κόσμου, Joh. 3: 3—8, Rom. 8: 1—14, 1 Cor. 2: 12, 1 Joh. 4: 1—6.

Qui hoc principio carent dicuntur ἐν θανάτῳ εἶναι, Joh. 5: 24—29, Eph. 2: 1—5, 1 Joh. 3: 14. Qui eo gaudent, dicuntur habere τὴν ζωὴν, sive τὴν ζωὴν αἰώνιον, vitam Dei vitae similem, Joh. 5: 24, c. 6: 57.

Hanc qui habet vitam spiritualem, Dei vitae similem, libere vivere ut Dei filius dicitur, Joh. 8: 32—36; atque ideo ille non est δοῦλος, neque νήπιος, sed φίλος et ἀδελφὸς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, et ipse est υἱὸς, sive τὴν υἱοθεσίαν habet, i. e. in filii majorennis conditione positus est, Joh. 15: 15, Rom. 8: 14, 15, Gal. 4: 1—7. Conf. E. J. J. A. JUNIUS, *Over het Zoonschap der Christenen*, in *Waarh. in Liefde*, 1845, II.

Haec vita, ut universe juncta cum Deo, dicitur ζωὴ ἐν τῷ Θεῷ, Joh. 17: 21. Prouti autem ab alia aut alia parte spectatur, appellari solet aut vita πίστεως aut vita ἀγάπης, interdum etiam vita ἐλπίδος, sed

quam plerumque πίστις complectitur, 1 Cor. 13: 13 coll. Gal. 5: 6.

Haec vita animi cum vim habeat in mentem, in voluntatem et in universum hominem, laudatur ipsi propria σοφία τοῦ θεοῦ sive γνῶσις et ἁγιασμὸς sive ἁγιωσύνη, et dicitur homo fieri καινὸς ἄνθρωπος, Eph. 4: 23, 24.

In hac vita universe Deo conjunctissima distinctius etiam videndum est, qualis sit fides ac qualis amor, quo melius ipsa tota perspiciatur.

1. Est autem *fides* illa animi conditio, qua homo praeveniunti Dei amori se confidit sive obsequitur; qui amor se cum in omnibus rebus tum maxime in Jesu Christo patefacit atque demonstrat. Itaque fides est primum quidem praestita Jesu Christo; neque tamen in hoc subsistens, sed et altius se erigens, fides praestita Deo; et propter id ipsum, quod Christo Deoque confidit, etiam latius se extendit, fidesque fit habita τῷ θείῳ, quod in omnibus, maxime in hominibus omnibus, praesertim per Christum excultis, inest.

Haec est *fidei* notio in N. F., conf. imprimis Gal. 2: 20, eaque hominis naturae et cum patre Deo conjunctioni respondens, sed in Ecclesia deinde haec notio multum fuit perversa; vid. DE GROOT, *Het onderscheid tusschen de doorgaande voorstelling van „geloof" in de Schriften des N. V. en de beteekenis van dit woord, die in de stelsels der Godgeleerden sedert de Alexandrijnsche Kerkvaders de heerschende is geworden*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, I; ejusdem, *Eenige opmerkingen over het ontstaan van het zaligmakend geloof in den mensch, volgens het N. V.* ibid. 1848, II; W. A. VAN HENGEL, *Betoog dat het woord „geloof (πίστις)" in het N. T. nergens „de leer des geloofs", maar overal de „daad des geloofs" beteekent*, in *Bijdragen tot bevordering van Bijbelsche uitlegkunde*, II *Dl.* 1 *St.* — Praestantia est religionis Christianae insignis, quod hanc *fidem* efficit; legalis ratio Mosaica modo postulabat *obedientiam*, et Islam Mohammedanorum fides quidem est, sed *fides coeca et passiva*. Denique me-

rito omnino Hebr. 11 hominum sub V F[e] piorum fides celebratur, namque, ut illic vs. 6 rite significatur, nisi per fidem nemo vere cum Deo conjungi unquam potuit aut potest; sed illi ut νήπιοι et *minorennes*, nos ut υἱοὶ sive *adulti filii* fidem patri Deo habemus; conf. Gal. 4: 1 seqq.

2. Quando non modo obsequitur Dei amori homo, sed etiam magis ipse agens est respondetque Dei amori, per Christum demonstrato, *amor* in ipso est, isque primum quidem amor Christi, sed et a Filio se ad Patrem erigens, amor fit Dei; neque in his solis amandis subsistit, sed per ipsum, quo Deum Christumque complectitur, amorem adigitur, ut latissime se extendat fiatque, gratuito ipsius Dei Christique amori similis, amor omnium, cum Ecclesiae sociorum tum etiam hominum quorumvis.

3. Jam nunc in eo sumus, ut plene perspicere queamus aliquid in vitae illius novae natura gravissimum, hocce nempe, quod ad eam necessario pertineat hominum inter se societas, sive Ecclesia. Oriri illa vita in singulis non potest, nisi per Ecclesiam; ipsa vero etiam adesse nequit, quin Ecclesiam gignat. — Oriri, nisi per Ecclesiam, nequit. Deus enim in mundo morali immediate non agit; sed, uti ab initio per mediatorem Jesum Christum, ita nunc deinceps per hujus Ecclesiam homines singulos informat. Namque et ipse hic Dei Filius non amplius adspectabili modo aut, ut in Paulo convertendo, per visiones agere solet, sed per Ecclesiam, ab ipso institutam perpetuoque rectam, agit. Haec igitur Christum praedicare et instituendo ad eum ducere homines debet, Rom. 10: 14—17.

Haec extrinsecus allata institutio omnisque Divina vitae hominum moderatio nihil quidem efficit, si interna ei non accedat horum assensio, ut mox dicemus. Neque tamen hoc est immediate a Deo infusum quoddam *lumen internum*, uti volunt Quakeri, Mystici, Labadistae. Horum opinio sequela necessaria est sententiae, qua Dei gratia proponitur irresistibilis, immediata et particularis; quam Euangelio repugnare,

indicavimus supra p. 86, 87, 91, 92; neque est vocationis et electionis ejusmodi discrimen, ut electi dicendi sint immediatâ et irresistibili vi Dei sive Divini spiritûs ad conjunctionem cum Deo adducti; cujus contrarium indicat Christus, inter ἐκλεκτοὺς et *a Deo ipsi datos* docens esse etiam hominem suâ culpâ perversissimum, Joh. 6: 70, c. 17: 12, coll. Matth. 26: 24, itemque Stephanus, ad eos, qui Euangelio ad salutem vocantur, sed animi sui perversitate ei resistunt, dicens, Act. 7: 51: ἀεὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ ἀντιπίπτετε.

Ipsa vero etiam vita illa ubi adest, vi sua Ecclesiam gignit. Namque salus ipsa, per Christum accepta, tanta est, ut eam recondere pectore nemo queat, eam communicare cum aliis quisque expetat. Et communis spiritus, communis maxime erga unum Patrem unumque Conservatorem amor, ita animos jungit, ut oriatur sponte sanctorum inter sese communio. — Quamquam autem vita illa oriri non nisi per Ecclesiam potest, tenditque vicissim ipsa ad communionem sanctorum in omnibus efficiendam; vel sic tamen neque per Ecclesiae vim necessario vita illa in singulis gignitur, neque in his omnibus communio illa sanctorum revera oritur. Scilicet per libertatem suam homines resistere illi praedicationi atque institutioni possunt, neque, nisi ubi hae fide liberâ suscipiuntur, revera vita illa communioque prodit, Act. 7: 51, Eph. 4: 30, 1 Thess. 5: 19, Hebr. 4: 2, c. 10: 25.

Paulus maxime vitam novam descripsit ut totius Ecclesiae vitam, usus imagine corporis, variis membris constantis unoque spiritu acti, spiritu nempe Jesu Christi, ipsius capitis, 1 Cor. 12, Eph. 4.

Idem hanc hominum populorumque, antea disjunctorum, consociationem per Christum appellavit τὴν καταλλαγὴν hominum inter se, eamque interdum ita proposuit, ut simul καταλλαγὴ sit hominum ad sanctitatem compositorum cum sanctis coeli incolis, Eph. 2: 15, 16, Col. 1: 20. Johannes eam hominum conjunctionem appellabat τὴν κοινωνίαν μετ' ἀλλήλων, 1 Ep. 1: 3, 7.

Deinceps haec Ecclesiae existimatio cum inter Ro-

mano-Catholicos sic urgeretur et perverteretur, ut Jesu Christi ipsius vis periret hominisque libertas reprimeretur, hanc depravatam notionem Ecclesiae meritissimo rejecerunt Protestantes, iidem vero male totam fere Ecclesiae vim neglexerunt. Eam instauravit imprimis SCHLEIERMACHER, qui et accurate de ea egit, l. l. p. 253 seqq.

B. Hujusmodi hominis vita spiritualis sive hujusmodi conjunctio hominem inter et Deum congruit una et Dei naturae et hominum. — Deo, qui in amore totus ipse vivit, placere nequit neque species modo aliqua, neque actio externa, quae aliunde saepe quam ex totius animi studio oritur; uti vel nobis hominibus ficta amicitia, aut sine amanti animo gratificans actio displicere solet, Joh. 4: 24. Deus item, qui, ut ipse liber est, ita nos libera voluntate praeditos creavit, non potest physicâ vi, irresistibiliter, efficere in animo quod ipsi placeat; liberâ fide ipsius gratia est suscipienda, libero amore ipsius amori respondendum. — Homini autem, cum sit non sibi sufficiens sed ab aliis pendens, opus est et aliorum amore auxilioque praeveniente, et fide huic habendâ. Hinc jam in rebus externis, uti mercaturâ omnique vitae consuetudine, necesse est, ut alii aliis credant et sua committant, aliorum ope vicissim alii confidenter et fideliter utantur. Multo etiam magis parentes liberos suos, amici amicos, sponsi sponsas, institutores alumnos, belli duces suos commilitones praevenire amore et excellentiâ suâ debent iisque ita fiduciam inspirare. Sed et liberi, amici, sponsae, alumni, commilitones hi fide illis habitâ unice frui illorum excellentiâ atque amore possunt; atque adeo confidant se ipsis, necesse est; nam, si se confidunt, vere demum ipsorum virtute atque amore fruuntur. Porro talis fides, in mundo morali praesertim, amorem gignere, imo sensim magis in amorem transire solet, ut parentes, amicos, conjuges, institutores suos diligant liberi, amici, conjuges, alumni. Denique ubi est communio bonorum, communio sortis ejusdem, maxime vero ubi sententiarum studiorumque similitudo et erga eosdem amoris est commu-

nio, ibi semper in genere humano mutuus etiam amor solet oriri, ex quo, praesertim si multorum est, sponte oritur societas.

C. 1. Hujusmodi etiam est conjunctio hominum cum Deo quam effecit Jesus hac in terra vivens. — Est ea revera vita nova spiritualis eaque libera. Ipse ejus vitae principium appellare solebat *πνεῦμα ἅγιον* et *πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, qua *ἀληθείᾳ* sui fierent *ἐλεύθεροι*, Joh. 8: 35, c. 15: 15. — Quam vitam esse novam, uti Jesus significavit, cum ultima ante mortem vespera, Apostolorum se captui accommodans, diceret *καινὴν διαθήκην* esse, qua viverent hac fide Dei amori habitâ, et *καινὴν ἐντολὴν*, qua hoc amore essent inter se juncti, Luc. 22: 20, Joh. 13: 34, coll. Exod. 24: 1—8, ita id etiam luculentissime apparet, si ipsius intimos discipulos comparas, quales ad eum accesserunt, et quales deinceps, ut ejus nuntii, vixerunt. — Est porro vita fidei et amoris. Fidem sibi, eoque ipso Deo habendam semper ante omnia postulavit et excitare studuit. Ea autem fides quo magis aderat in ipsius discipulis, eo magis sensim in amorem erga ipsum convertebatur. Et quo magis ipsum amabant, eo quoque arctius mutuo inter se amore jungebantur. Vides hoc inde, quod Jesus incepit a fide Euangelio habendâ a suis postulandâ, ultima vero vitae vespera desiit in foedere condendo amoris erga ipsum et amicitiae mutuae; quodque post ipsius e terra discessum sponte ipsius asseclae per communem ipsius amorem se conjungerent, secum invicem versantes Deumque precantes. Vid. Marc. 1: 15, Joh. 13: 34, c. 15: 4, 12, 13, Act. 1: 15—26 et alibi. — Est denique vita totius alicujus Ecclesiae conjunctae. Jesus ab initio inde societatem ejusmodi se velle atque conditurum esse praedicavit, *βασιλείας τῶν οὐρανῶν* nomine. Idem ejus fundamenta jam jecit in amicorum intimorum perpetuo sodalitio, atque ex hoc tanquam semine deinde succrescentem reddidit Ecclesiam suam, per totum terrarum orbem propagandam; conf. Joh. 17: 20, 21.

11

De Apostolorum immutatione atque in novam vitam conversione conf. VAN DER WOUDE, *Kan uit Jezus dood, opstanding en het onderwijs na dien tijd door Hem aan de Apostelen gegeven, zijne hemelvaart, de buitengewone teekenen op den Pinksterdag, en het eigen nadenken der Apostelen over dit alles, in verband met hetgeen zij vroeger in Jezus hadden opgemerkt, de de verandering en omkeering der Apostelen, van den Pinksterdag af in hen zigtbaar, genoegzaam worden verklaard? Of moeten wij hier nog eene meer onmiddellijke werking van God op hunnen geest aannemen?* in opere, *Waarh. in Liefde*, 1841, III.

2. Hujusmodi etiam conjunctionem efficere pergit Jesus curâ suâ coelesti. Vitam eam esse plane novam, ubique patet, cum in germanorum Christianorum, excellentium maxime virorum, historiâ, tum in gentium, per Euangelium illustratarum immutatione per omnia omnino penetrante, tum in generis humani universi per Jesu Christi apparitionem conversione. Vita haec apud nonnullos permansit spiritualis, v. c. apud variorum temporum Mysticos. Multum vero abest, ut semper et ubique manserit ejusmodi vita fidei et amoris: imo ad legalitatem non raro plerique redierunt, eoque ipso ad discordias et Ecclesiae quoque divisiones, perventum est. Sed quod hominum vitio saepe corruptum est, id Jesus Christus identidem denuo corrigendum et perficiendum curavit. Vitae mundanae loco vitam coelestem nomine *vitae novae* jam celebravit primus Europae recentioris poëta insignior, Dantes. Legalitatis loco fides est inter multos restituta Reformationis maxime tempore. Amoris autem mutui et societatis vis hodie denuo magis inter diversarum etiam Ecclesiae familiarum socios cernitur in communi studio, communibus etiam sodalitatibus, Euangelio praedicando generique humano perficiendo dicatis.

D. Haec vita nova totâ naturâ suâ longe exelsior est, quam vel excellentissimi Israëlitarum prophetae aut Graecorum philosophi ante Christum efficere potuerunt. Illi,

ad Deum cognoscendum adducentes imprimis gentem suam, nequaquam tamen hancce ad ipsum, ut Patrem, amandum erigere potuerunt; hi, etsi ex Deorum sapientissimi praecepto, *τὸ γνῶθι σεαυτὸν* praecipue commendantes, tamen ad peccati naturam atque vim persentiendam perspiciendamque ne ipsi quidem pervenerunt; unde neutri neque ad persuasionem, fidem Deo habendam esse, adscendere potuerunt. Igitur ut solo mediatore atque institutore Jesu Christo, humanissimo eodemque plane Divino, ejusmodi regeneratio in humano genere exstitit, ita solo auctore illo exsistere potuit.

E communi Christianorum conscientia novam hanc vitam unice a Christo auctore repeti, egregie indicavit SCHLEIERMACHER, l. l. p. 25—28, 176 sqq.

D. Salutis progressio et perfectio.

§ 68.

Progressio ejusdem.

A. Conjunctionis hominem inter et Deum initium igitur hoc est, ut, fide Dei amori habita, nascatur nova in homine vita, § 66; natura autem haec est, ut vita ea sit animi, fide atque amore constans, in omnibus sese patefaciens, in societate Ecclesiae vigens, § 67. Jam videndum, quomodo in homine et humano genere haec conjunctio sensim progrediatur et perfectior fiat.

Namque haec vita, uti vita omnis, non quiescere vel eodem statu permanere potest, sed exserere se magis magisque atque progredi debet, idque maxime cum sit vita et liberi hominis, et peccato facile indulgentis, et ad perfectionem nati.

Jam vero vita haec spiritualis cum sit nata in hominibus et corpore sensuali indutis et vero antea directionem plane contrariam peccati secutis, inde et pugna illius vitae novae contra sensualitatem esse debet, et illa pristinae vitae reliquias magis magisque debet subigere. Est ergo necessaria ejusmodi progressio, per quam in pugnâ illâ sensim magis victrix evadat vitae spiritualis vis.

Et vero vita haec spiritualis ipsa sensim increscit, idque maxime pugnâ illâ sese exercendo. Sic ergo fides, huic vitae propria, primum debilior et cum dubiis juncta saepe, deinde certior et constantior; primum obscurius sentiens Dei Christique amorem, post clarius perspiciens; primum minus efficax, post efficacior est in vitam humanam omnem. Quo magis porro fides haec diffidentiam et dubitationem omnem vincit, totumque adeo sese homo Deo Christoque confidit, eo magis fides haec ipsa in amorem transit, ita ut tandem vita haec spiritualis paene tota sit amor, ex fide ortus. Ipse etiam hic amor sensim progreditur, non tantum vi et ambitu, sed etiam indolis praestantiâ. Primum enim amor paene unice est hicce, ut Deum Christumque, qui nos amant, redamemus: prouti a parentibus institutoribusque redamandis pueri incipere solent. Deinde amamus etiam socios, eodem spiritu animatos vitâque eâdem praeditos, qui et nos redamare solent: prouti adolescentes a parentibus amandis ad fratres etiam amicosque diligendos procedunt. Denique etiam homines, vitâ illâ nondum praeditos eoque ipso parum amabiles, quin et hostes, sponte gratuitoque amamus, ut hosce ad eandem quoque vitam adducamus: prouti adulti ad suos quoque liberos sponte gratuitoque diligendos procedunt, ut hos, etiam refragantes, sui similes reddant. Sic ergo a Deo Christoque redamando incipiens, homo magis magisque eo progreditur, ut ipse Dei Christique gratuitum amorem sequatur. Quo magis igitur invalescit hic amor, eo magis devincitur egoismus omnis, atque peccato omni liberior simul fit homo, quo magis vita hac spirituali perficitur.

Quum vita illa nova in omnem hominem vim suam exserat, coll. § 67 p. 155, 156, sensim etiam et pulcri sensus purior fit atque excelsior, et intellectus veri perspicacior, et voluntas ad omne bonum magis directa atque constantior. Atque ita cum internae vitae progressione etiam patefactio ejus omnis fit illustrior. Sic, cum antea sensualitati subjiceretur spiritus, jam nunc contra magis magisque spiritui subjiciuntur sensualia omnia, et ad

spiritualia, bona divinaque consilia exsequenda inserviunt non modo corpus ipsum sed etiam res externae omnes. Conferantur in N. F. loca Rom. 6: 13, c. 8: 19—24, 2 Cor. 5: 17, Phil. 3: 12—15.

Neque tamen admodum multa exstant Jesu aut Apostolorum effata, hanc progressionem novae vitae ejusve patefactionem describentia, quum illi in vitae hujus initio creando et progressione provehenda magis quam in hac describenda occuparentur. Verumtamen, quod observare summi est momenti, Jesus ejusque Apostoli semper id, quod Christus est, nos fieri debere et per ipsum revera fieri, docuerunt, conf. 2 Cor. 1: 21, 1 Joh. 2: 20, 27, usque adeo ut et germanos Christianos fieri dicant τῆς θείας φύσεως κοινώνους, 2 Petr. 1: 4. Hoc egregie exposuit J. H. SCHOLTEN, *Oratio de vitando in Jesu Christi historia interpretanda Docetismo, nobili, ad rem Christianam promovendam, hodiernae Theologiae munere, Traj. ad Rhen.* 1840, p. 23 seqq. Tenuit hoc deinde etiam Ecclesia Graeca, quae per Christum, Divinum illum, nos θεοποιεῖσθαι et θεοειδεῖς, imo θεοὺς fieri, semper perhibuit, conf. supra p. 95. In Ecclesia etiam Latina initio id ipsum servatum est, sed sensim deinde evanuit, quo magis legalis in ea ratio, non spiritualis, regnare coepit.

B. Congruit haec progressio naturae cum Dei tum hominis. Deus enim ipse perfectus hanc, qua gaudet, perfectionem, magis magisque communicare studet, utpote Pater, cum filiis suis. Hominis haec est natura, ut *et* in omnibus semper progredi queat, coll. § 59 n. 5, *et* peccatum, quod eum impedit, vincere in communione cum Deo possit debeatque.

C. Haec progressio cernitur cum in singulis, tum pariter in ipsa Ecclesia tota.

1. Cernitur illa, quatenus in ἀναμαρτήτῳ adesse poterat, in ipso Jesu Christo, vid. § 30, 33. Conspicitur luculenter eadem in singulis etiam insignioribus quibusdam Christi sectatoribus, v. c. Apostolis, Augustino, Luthero, Zinzendorfio, Wilberforcio.

2. Cernitur illa pariter magisque etiam in universa Ecclesia. In hac primum quidem vitae pristinae tot supererant reliquiae, ut Judaicae, Graecae, Romanae gentis antiqua ratio paene etiamnum dominaretur in plerisque, vitaque nova fere in paucis excellentioribus modo regnaret. Post deletum orbem antiquum demum Germanicae gentes, quasi inde a pueritia per Ecclesiam Christianam educatae, magis universe dominantem ostendunt vitam Christianam; quamquam et inter has Germanicas gentes et extra easdem cum singuli Christiani permulti, tum etiam sodalitates Christianae integrae supersunt, in quibus pristina ratio permanet fere regnans. — Pariter in Ecclesia antiquitus magis unice fides aderat, eaque saepe minus bene composita; incipit jam ipsa fides melius disponi, cum Deum, ut patrem amore unice conspicuum, non modo sibi proponant, sed etiam ei, ut tali, velint sese confidere plurimi. Incipit etiam ab ipsis pensentiri Christianis, vitam spiritualem contineri omnium maxime amore. Quare jam, coll. § 67 p. 161, 162, ex amore erga Deum, Christum et variarum sodalitatum Christianos etiam dissentientes et ex amore hominum omnium, fit, ut optimi quique sese conjungant communi studio genus humanum universum ad Deum Christumque adducendi. — Denique religionis vim cerni debere in vita humana omni regunda, sentire quidem medio jam aevo coepit Ecclesia; sed admodum tamen inperfecte, imo perverse non raro id egit, cum saepe dominari in artes, doctrinas resque politicas et civiles studerent Ecclesiae principes. Quo decretorum Ecclesiasticorum dominio cum haec omnia liberanda esse multi in recentiori Europa videant, sunt certe aliqui, qui eadem sentiant debere liberâ religionis vi emendari, nobilitari, perfici.

Conf. L. G. PAREAU, *Oratio de Christ. religionis vi*, supra p. 12 cit.

D. Progressio haec, aeque atque ipsa vita spiritualis omnis, originem suam unice trahit a Deo, per Christum eam efficiente; sed et libere homines Dei amore utuntur, ut sic ipsi progrediantur.

Deus per Christum ipsos jam Apostolos sensim instituit, ut fide ad amorem ejus, et sic ad mutuam quoque caritatem et erga omnes alios divinum amorem adducerentur. Per hosce primum Ecclesiam condidit, eamque et conservat et extendit perpetuo, ut in hacce et per hancce omnes instituat et perficiat. In hac Deus specialiter cum per ipsam nativitatem, tum per institutionem et Euangelii praedicationem, tum per Baptismum et S. Coenam cultumque communem sacrum, tum etiam per omnem sortis, tam singulorum quam Ecclesiae, moderationem excolit et perficit singulos, conservat quoque et extendit Ecclesiam ipsam totam. — Excoluntur autem revera et sensim perficiuntur, quotquot sua hac inter Christianos nativitate laete utuntur, institutioni bonae parent, Euangelio obsequuntur, Baptismo et S. Coena arctius se cum Christo, Deo et sociis jungunt, et in universa vita, praecipue vero in cultu sacro communionem sanctorum exercent, precibus denique Deo patri suo et institutori atque vitae suae omnis moderatori sese perpetuo consecrant.

E. Hac autem in progressione sua vitam Christianam longe excellentiorem esse, quam praestantissimum quidvis, quod extra Ecclesiam Christi inveniatur, sponte apparet, cum vel in initiis suis eadem excellat prae omnibus, quae alibi inveniantur, coll. § 67 D.

§ 69.

Ejusdem perfectio.

A. Progressio illa per totam his in terris vitam hominum perdurat; perfectionem enim non attingit homo genusve humanum, quamdiu in sensuali hoc corpore spiritus vivit.

1. Et ejusmodi quidem perfecta hominis conditio, quae faciat, ut ulterius progredi nequeat, sed subsistendum et acquiescendum ei sit, nunquam omnino est exspectanda. Est enim homo natura a Deo creata et destinata ad infinite progredientem perfectionem. Sed ejus tamen conditionis, quae nunc nobis est, absolutio sive

perfectio est exspectanda. Licet enim conditio nostra nunquam absolute perfecta fieri queat, sed semper mansura sit ulterius progrediens, tamen aliquando non amplius aderit peccatum, id est, morbus moralis.

> Erit igitur etiam post mortem progrediens perfectio et semper magis accedens ad id, quod est absolute perfectum; sed non erit amplius vitiositas. Vernacule dicamus: *Er zal na den dood geen gebrek zijn, doch ook geene volmaaktheid, maar volmaking.*

Impeditur his in terris perfectio per corpus sensuale, in multis spiritûs explicationem retinens, imprimis quia cum sensualitate arcte juncta adest vis peccati pristini, pugnam contra spiritum perpetuam excitans. Itaque quae hac in terra corpus illud deprimunt et mortis sunt quasi praesagium, ut morbi, calamitates, vexationes cruciantes, ea omnia jam hîc in bene animatis Christianis vitam spiritûs excitare et corroborare solent: ita ut inde nascatur libertas spiritûs, quae ipsa est liberationis plenae, per mortem spiritui conciliandae, praesagium. Haec igitur conditio per mortem absolvetur et perficietur in omnibus, vitam spiritualem viventibus. Mors enim, sive liberatio hominis a corpore praesenti sensuali, efficit, ut et vis sensualitatis perniciosa penitus tollatur, et eo ipso in plenam libertatem spiritus evehatur. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi unquam spiritus humanus sine organo quodam sive corpore ullo vivere queat: quod uni competit infinito Deo. Sed ab hujus Dei sapientia exspectandum est, post mortem homini corpus fore, ex praesentis corporis quasi semine sese evolvens, quod excellentissimae conditionis organum sit aptissimum et ad spiritûs adeo plenam libertatem prorsus accommodatum. Caeterum, quod vel ex his sponte liquet, et ex rei natura luculentissimum est, conjunctio ipsa hominem inter et Deum, sive vita hominis spiritualis ipsa per mortem non mutatur; manet indole suâ eadem in aeternum, sed per mortem ad perfectionis gradum altiorem evehitur, ut felicius perpetuo progredi queat.

Haec ab ipso quidem Jesu explicari nondum poterant. Qui autem haec maxime explicuerit, Paulus est, a nobis exposita omnia jam interpretatus; quod de nullo fortasse post eum Theologo affirmare licet.

Ex Pauli igitur doctrinâ vita spiritualis hac in terra tantum est in ipsius initio et quasi pueritia, Rom. 8: 23, 1 Cor. 13: 11.

Vita haec ipsa terrena est quaedam quasi mors perpetua, sive νέκρωσις, qua spiritus sensim fiat liberior, 2 Cor. 4: 10, 16.

Corpore sensuali ut liberetur homo, necesse est, Rom. 8: 23, 1 Cor. 15: 50.

Statim in morte adfuturum homini est novum quasi indumentum animi, 2 Cor. 5: 1. (Quo in loco attendendum est ad particulam temporis ἐάν.)

E corpore praesenti, tanquam semine nasciturum est corpus futurum, 1 Cor. 15: 35—50.

Fieri aliter non potest, quin corpore quodam indutus homo et postea vivat; namque solus Deus est infinitus sine corpore spiritus, 1 Tim. 1: 17, c. 6: 14—16.

Vita spiritualis ipsa manet eadem, 1 Cor. 13: 13.

Simplex haec Pauli doctrina ideo deinceps non est intellecta, quia Judaica forma *resurrectionis hominum mortuorum* ad vitam novam, Joh. 11: 24, confusa est cum Graeco placito *immortalitatis animorum;* unde N. F^{is} de resuscitatione *hominis* doctrina intellecta est, acsi illa ageret de resuscitatione *corporis;* et sic apud plerosque placitum exstitit de spiritu post mortem permanente, sed primum separato, post in fine saeculorum denuo jungendo cum corpore, tum resuscitando. Ad quod placitum formandum opus fuit fictione statûs intermedii mortem inter et resurrectionem, de quo nihil in N. F. invenitur; quique quam inepte fingatur, vides, si modo reputas, pueruli mortui spiritum in tali statu medio progredi necessario et adolescere, eundem tamen post seculorum decursum in judicio ultimo remittendum in corpus puerile. Porro, cum concedi non posset, homines inde a morte usque ad judicium ultimum in statu intermedio dormire, quod pugnabat v. c. cum locis Luc. 16: 22—

28, c. 23: 43, Apoc. 14: 13, necessario sumi debuit, duplex esse de una eademque vita terrena judicium Divinum, alterum statim post singulorum mortem, alterum post oeconomiae omnis terrenae finem.

Apud Hebraeos primum proposita est totius *populi ad novam vitam resurrectio*, Ezech. 37: 1—14, deinde *mortuorum hominum resurrectio reditusque in hanc terram*, Luc. 20: 33. Jesus ejusque Apostoli, formâ inde desumtâ, docuerunt resurrectionem mortuorum ad novam eamque plane coelestem vitam. Conf. c. BOON, *Historia conditionis Judaeorum inde ab exsilio Babylonico*, p. 102 sqq., et SWAAGMAN, *Over 's menschen voortduring na den dood*, in *Waarh. in Liefde*, 1840, II, atque VAN OORDT, *Paulus denkbeelden over opstanding, dood en gerigt*, ibid. 1841, III.

2. Quae hactenus vidimus, de singulis valent; eadem vero etiam valent pariter de tota Ecclesia. Uti enim illa, de qua vidimus § 68, progressio vitae spiritualis in singulis perdurat, quamdiu his in terris sunt, ita etiam Ecclesiae eadem progressio perdurat, quamdiu in terrena sua conditione haecce manet. — Ut singulos per mortem a rerum sensualium vi impediente liberat et ad spiritus perfectionem majorem erigit Deus, ita etiam exspectandum est, eandem felicitatem toti aliquando societati fore. Namque prouti corpus terrenum sensuale constanter mutatur tandemque interit, neque igitur hominibus singulis semper inservire potest, ita terra haec ipsa tota sic immutatur, ut aliquando eam interituram esse, facile agnoscatur; unde sequitur, neque hanc posse in sempiternum inservire generi humano. Conf. Hebr. 1: 10—12, 2 Petr. 3: 7 seqq. — Item prouti olim sub Veteri Foedere et antiquâ Theocratiâ sensim ita excolebantur homines, ut tandem eorum certe praestantissimis tota illa forma Divinae institutionis atque moderationis non amplius conveniret, atque haec ideo abroganda et cum Novo Foedere et regimine Christi esset permutanda : sic quoque sub hoc Novo Foedere et praestantissimo ultimoque his in terris Divino regimine per Christum sensim magis est excolendum genus humanum,

donec tandem tota haecce terrena conditio eique adaptata institutio excellentissimis saltem ingeniis sufficere amplius nequeat, sitque ideo tota dissolvenda et in novam atque plane coelestem rerum conditionem evehenda. Quando igitur maximos, quos in terrena conditione attingere potest, Ecclesia Christiana progressus fecerit, terrenâ hac atque sensuali conditione penitus liberabitur. Conf. 1 Cor. 13: 10 seqq. Est autem a Dei sapientia atque amore, genus humanum totum complectente, exspectandum, illam hac in terra progressionem tamdiu certe esse perduraturam, donec genus humanum omne fuerit ad Christi Ecclesiam perductum, Rom. 11: 25, 26. — Ut porro singulis exspectandum est post mortem organon novum, spiritui maxime conveniens; ita societati integrae sperandum est theatrum, in quo vivat, novum, terreno excellentius idemque spirituali vitae in infinitum perficiendae aptissimum. — Denique uti singulis, postquam per corporis depressionem vita spiritualis felicius sese exserere magis magisque coepit, tandem in morte liberatio contingit plena: ita etiam societas Christiana, quae in saeculorum decursu per hominum sensualium vim sensim magis depressam liberius identidem vivere et sese exserere potest, tandem in coelis penitus libera erit ab omnibus peccato subditis et Deo Christoque adversantibus hominibus. Hi enim, qui, dum in terris erant, cum credentibus piisque erant commixti eosque multum impediebant, post mortem, quamdiu Deo Christoque adversari pergunt, eo ipso sese a coelesti Ecclesia secernunt. Haec igitur nullos omnino continebit, nisi qui vel citius vel serius ad Deum Christumque toto animo sunt conversi. Quod sane, uti et omnis illa a sensualitate liberatio et in theatrum excellentissimum traductio efficiet, ut coelestis illa Ecclesia felicissime explicare queat vitam, quam hac in terra exserere coepit.

Epochae, quae Ecclesiae perficiendae imprimis inserviunt, omnes in N. F. appellari solent tempora, quibus ἥκει ὁ Κύριος et adest ἡ παρουσία Χριστοῦ, atque sic pa-

riter epocha haecce ultima. Conf. GOUDSCHAAL, *Onderzoek, in welk een onderscheidenen zin Jezus in d Schriften des N. V. wordt gezegd „te komen" en of zich dat ook tot éène voorstelling laat vereenigen*, in opere *Waarheid in Liefde*, 1839, III.

De theatri novi cum nova liberaque filiorum Dei conditione congruentis futuri praesensione vid. Rom. 8: 19—23.

Secretio illa impriorum a piis luculentissime docetur esse secretio, *κρίσις*, quam ipsi indole suâ perversâ efficiunt, Joh. 3: 17—21. Alibi saepe proponitur ut secretio sive judicium, quod Deus per Christum facit. Scilicet fit illud ipsorum hominum vi per ipsam rerum naturam, a Deo sic ordinatam et per Christum rectam, ut non possint non se ipsi secernere a piis homines impii. Conf. p. 170 citatus VAN OORDT, in opere laud. 1841, III.

B. Haecce perfectio vitae spiritualis cernitur jam patefacta luculentissime in ipso Jesu Christo, *τύπῳ* naturae humanae, ad cujus similitudinem omnes sunt erigendi, § 30—32.

C. Ipsa vero etiam ea perfectio hominibus reliquis contingit Dei beneficio per Jesum Christum, quamquam libere per fidem ab ipsis suscipitur hominibus. Universe hoc per se patet, cum perfectio haec sequela sit illius vitae spiritualis totius, de qua hactenus vidimus. Specialiter vero hoc apparet in morte, quae hominibus impiis etiamnum est, et vero ante Christum plerisque hominibus erat, admodum horrenda; Christo fidentibus contra est transitus ad excelsiorem verae vitae gradum, 2 Tim. 1: 10, Hebr. 2: 14, 15. Atque ita etiam cum sortem singulorum post mortem tum conditionem totius societatis post rerum terrenarum interitum futuram per Christum Deus moderatur, quippe per quem generis humani moderationem omnem exercet eo ipso consilio, ut id penitus perficiat, conf. § 31, 33. Hujusce autem Divinae per Christum moderationis praesens forma, utpote terrenae humani generis conditioni accommodata, in hujus conditionis terrenae fine et ipsa desinet, 1 Cor. 15: 28.

De hac Eschatologia noluimus Sectione peculiari agere, quia, uti Jesus ejusque Apostoli rerum in altera vita futurarum conditionem non per se spectatam edocuerunt, sed tantummodo vitae praesentis causa attigerunt, ita totum Euangelium, utpote de Jesu Christo generis humani hac in terra Conservatore nuntius, non id spectat, ut de rebus in altera vita futuris exponat, sed patefactionem continet praesenti vitae et inservientem et adaptatam. Cum ergo Euangelii consilium proprium in eo non sit positum, neque in Dogmatica Christiana locus specialis Eschatalogiae videtur tribuendus. Conferri de hac potest PAREAU, *Inst. Christ. mor.* § XLI, 6, et *Overzigt van de wijze, waarop zich Paulus de ontwikkeling der menschheid voorstelt, zoowel die er geweest was voor het Christendom, als die er in zijnen tijd kwam en vervolgens nog komen zoude door hetzelve*, in *Waarh. in Liefde*, 1841, IV, p. 726 seqq. — Vix etiam agere possumus de sorte hominum impiorum futura, vel eorum poenis num sempiternis nec ne. Certo eo usque peccatoribus erunt poenae, quo usque sunt peccatores; nam peccata ipsa in se suas habent poenas. Cf. § 61.

E. CONJUNCTIO HUJUS SALUTIS CUM VARIIS NATURIS.

§ 70.

Relatio, quae inter hanc hominum cum Deo conjunctionem intercedit et inter varias naturas.

Quod de conjunctionis hominem inter et Deum initio, natura, progressu, perfectione dicendum erat, absolvimus. Restat, ut, prouti antea in fine Sectionum I, II, III, ita et nunc relationem contemplemur ejus rei, de qua nunc egimus, cum omnibus naturis, de quibus in hac Dogmatica Christiana agitur.

1. Conjunctio haec hominis cum Deo sive vita haec spiritualis si consideratur in sua relatione cum Christo, Jesus Christus est et fons ejus vitae et exemplar ad quod ea se componit; igitur et Christus in nobis vivit

et nos in Christo. Atque Ecclesiam si spectas totam, haec opus, ab ipso Jesu inceptum, illo auctore atque moderatore, per omnia saecula perficit. Vid. maxime Joh. 17: 20—23, Gal. 2: 20, Eph. 4: 11—16.

Quum libera sit actio Christi liberaque actio hominis, qua inter se conjunguntur, haec conjunctio sic spectari potest, ut nunc Christus magis cernatur agens ac homo magis patiens quod in ipso agatur, nunc homo magis cernatur agens ac Christus magis id patiens quo ipsius actioni homo respondeat. Prius in N. F. dicitur *Christum vivere* vel *esse in nobis*, posterius, *nos vivere* vel *esse in Christo.* Similiter se res habet, ubi de conjunctione Deum inter et homines agitur. Conf. Joh. 14: 11, 20, c. 15: 4, c. 17: 21, et MUURLING, *Wat zegt het, dat Christus in den mensch en in de menschheid moet leven, en hoe is dit het wezen van het innerlijk Christendom?* in *Waarh. in Liefde*, 1843, II.

Multum omni aevo est disputatum, quatenus in hac re perficienda agat Deus, quatenus homo; quae disputatio vero est eadem in omni Providentiae negotio intelligendo. Cf. *Instit. Theol. nat.* § XXI, 7—9. Verum etiam multi incerti sunt, quatenus per *Euangelium* hac in re agat, quatenus per *spiritum* suum Deus. Observandum est, Deum dici agere per spiritum suum, quando *personae* cujusdam est actio, sive Dei ipsius, sive aliûs cujusdam, in quo vivit Deus; Deum vero dici agere per Euangelium, vel etiam spiritum Divinum agere per Euangelium, quando *medii* vel *instrumenti*, cujus ope in hominem agitur, vis indicatur.

2. Vita haec eadem si consideratur in sua relatione cum Deo, Deus vitae hujus et primus auctor est et supremum exemplum; sive Deus est, qui perfectissime ita vitam suam cum hominibus communicat, hominesque plenissime vitam Divinam suscipiunt. Hoc dici sic quoque potest, et Deum in nobis et nos in Deo esse; idem vero etiam sic potest enuntiari, *τὸ πνεῦμα ἅγιον*, sive *τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ*, uti in Christo, ita in hominibus Christianis et in ipsa Ecclesia Christiana vivere, vigere,

agere, atque adeo hunc esse, a Deo procedentem, spiritum communem omnium. Est autem hic spiritus principium ipsum vitae internae. Cum igitur in Deo vita sit et *ἀγάπη* et *ἀλήθεια*, § 53, spiritus etiam hicce est *πνεῦμα ἀγάπης* et *πνεῦμα ἀληθείας*. Ecclesiam denuo si spectas integram, haec est, quae, ab ipso ad id informata Deo, suprema Patris coelestis in genere humano consilia exsequitur. Vid. 1 Cor. 12. 1 Joh. 4.

Conf. G. W. STEMLER et S. K. THODEN VAN VELZEN, *Over de werking van den Heiligen Geest*, sive *Verhandelingen, uitgegeven door het Haagsch Genootschap na deszelfs vijftigjarig bestaan*, III, IV Dl.

3. Eadem haec vita si consideratur in sua relatione cum universo genere humano, illa est imperfectorum, quae caeterum adfuerunt, perfectio. — Discrimen hoc est. Ante Christum adfuit plerisque tantummodo conjunctio cum Deo per legem, qua Deus praecepta sua daret, homines ad haec praecepta actiones suas externas componerent. Sub hoc Veteri Foedere pauci tantum erant, qui animo menteque cum Deo consentirent sive spiritu Dei agerentur, idque et non constanter et non perfecte. Sub Novo contra Foedere conjunctio est totius animi mentisque cum Deo per Christum, Dei spiritu plenissime constanterque ductum et ita suos informantem, ut et ipsi omnes constanter et magis magisque perfecte eodem agantur spiritu. — Atque ideo conjunctio hujus vitae spiritualis cum antecedentibus, quae in humano genere ab initio adfuere, haec est, ut ea sit perfectio totius creationis Divinae, Matth. 5: 17, Rom. 8: 19—23. Deus enim cum rebus omnibus vitam inderet, hanc ab initio tam egregiam indidit hominibus, ut hi essent generis Divini, ad Dei imaginem creati, ingenio suo Divinae vitae, Divini spiritus jam participes. Vita vero haec Divina, Divinus hicce in hominibus spiritus ad plenam explicationem et plenum regimen atque vim suam pervenire non potuit, nisi per Christum, Dei imaginem perfectam, Dei spiritum plenissime patefacien-

tem, qui eo homines ducit, ut Dei imaginem tota sua indole referant, Dei vitam penitus in se gerant explicatam et dominantem, Dei spiritu sint pleni, eoque ipso, conjuncti secum invicem, sint Dei his in terris vicarii, opus Dei, quod in hoc orbe sibi proposuit, exsequentes. Conf. Hebr. 2: 6—9, 1 Cor. 15: 21—23, 45—49, item Hebr. 8: 8—13.

Immerito negant nonnulli, tale quid per unum Christum fieri posse, sumentes, hanc esse agendi methodum, Naturae propriam, ut non uni homini largiatur dona quaevis excellentissima, sed haec aliis hominibus distribuat alia. Historia contrarium docet, testans Asianos occidentales per Zoroastrem venisse pene unum ad sui conscientiam et explicationem, Sinenses per Confucium, Graecos per Socratem, Arabes per Muhammedem, Germanos per Lutherum, Suecos per Gustavum Wasam, Nederlandos per Gulielmum Arausionensem.

4. Denique, si vita haec spiritualis consideratur in sua relatione cum universo mundo, est consociatio hominum cum omnibus naturis ratione praeditis. Coelitus venit Dei Filius, ut vitam illam spiritualem, in coelo maxime vigentem, cum terra communicaret. Sed ita etiam tollitur, quae coelum inter et terram erat, disjunctio, et in terris eadem, quae in coelo, vita viget. Imo jam ex hujus vitae spiritualis hac in terra explicatione coelites majorem suae vitae perfectionem ducunt, conf. Eph. 3: 10, aeque atque terrigenae coelitum exemplum sequuntur. Denique autem in rerum terrenarum omnium fine luculentissime apparebit, a Deo per Christum effecta, totius universi harmonia spiritualis vereque divina.

Conf. PAREAU, *Over de vereeniging van de hier op aarde door J. C. verlosten met andere heilige wezens, nu reeds en hier namaals, volgens Paulus voorstelling*, in *Waarh. in Liefde*, 1840, III.

F. Conclusio soteriologiae.

§ 71.

Quid igitur est ἡ σωτήρια?

1. Vidimus ergo salutis, per Christum nanciscendae, originem esse Divinam, in gratuito paternoque Dei amore positam, initium autem humanum, in eo situm, quod libere nos patri Deo confidimus: *τῇ χάριτί ἐσμεν σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως*, Eph. 2: 8.

2. Vidimus item, naturam ejus hanc esse, ut incipiant homines fide cum Deo patre suo conjungi, hac autem ducantur ad amandum Deum amoremque, paterno illius amori similem erga se invicem et erga cunctos homines fovendum: est *πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, Gal. 5: 6.

3. Progressio ejus haec est, ut egoismi vis frangatur et in mundo corporeo omnia illi vitae in humano genere Divinae consentanea reddantur: *ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν*, Rom. 8: 37.

4. Perfectio autem ea, ut, sublatis impedimentis terrenis omnibus, summa sit, in universa Dei creatione, omnium harmonia, *ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι*, 1 Cor. 15: 28.

5. Est ergo *verissima generis humani religio*, sive intima hominum cunctorum cum Deo communio, *κοινωνία μετ' ἀλλήλων καὶ ἡ κοινωνία αὕτη μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ· αὕτη ἐστιν ἡ χαρὰ ἡ πεπληρωμένη*, 1 Joh. 1: 3, 4.

DOGMATICES CONCLUSIO.

§ 72.

Christologiae, Theologiae, Anthropologiae et Soteriologiae unitas.

1. Ex universa Dogmatica apparuit, per Jesum Christum perfectissime cognosci Deum, spiritum perfectissimum, Patrem amore summo sese naturamque suam communicantem cum genere humano; genus hocce humanum ingenio esse Divino, peccato autem a Deo separatum, egoismo deditum eoque ipso miserum; ad intimam vero cum Deo communionem ducendum eoque ipso beandum; duci autem huc, si fide patri Deo se penitus tradit, eum amat atque sic communi amore suo vitam Divinam agit. *Ὁ Ἰησοῦς εἰκών ἐστι τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου. Ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστί. Θεοῦ γένος ἐσμέν· φίλαυτοι δὲ μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, καὶ ταλαίπωροι. Ἐπεφάνη δὲ ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, σώζων ἡμᾶς δι' ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, ἵνα γενώμεθα θείας κοινωνοὶ φύσεως*, Col. 1: 15, 1 Joh. 4: 8, Act. 17: 28, 2 Tim. 3: 2, 4, Tit. 3: 4, 5, 2 Petr. 1: 4.

2. Cum autem naturâ suâ, id est amore suo, illud velit Deus, homo autem ingenio quidem illud capiat, sed neque vi sua id assequi valeat et peccati egoismo nolit, Deus humano generi, ad id creato et praeparato, Jesum Christum dedit, per quem unum plane Divinum hominem et Deus exsequi et humanum genus assequi illud potest, ut homines cuncti verissimâ intimâque cum Deo communione beentur: sive ut rem paucis Athanasii verbis complectamur, *ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν.*

3. Ergo per Jesum Christum non modo vere *cognoscitur*, sed et revera *efficitur perficieturque verissima religio*, sive generis humani cum Deo verissima communio; quod ipsum, coll. § 9, vult ille, qui precatus est: *ἵνα πάντες ἓν ὦσι, καθὼς σὺ, Πάτερ, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν*, Joh. 17: 21.

THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE

PARS POSTERIOR,

PRACTICA,

SIVE

APOLOGETICA CHRISTIANA.

INTROITUS.

DE APOLOGETICA CHRISTIANA.

§ 73.

Religio praestantissima est, quam Jesus voluit.

Prouti § 9 vidimus, religionem, eamque verissimam esse, quam Jesus voluit, ita nunc tenendum est, praestantissimam esse, quam spectavit.

Jesus Christus autem, ipse homo perfectissimus hominesque omnes amans, voluit Ecclesiâ suâ complecti genus humanum totum, idque ita ad eandem, qua ipse gaudebat, perfectionem salutemque evehere. Vide Joh. 17. Ideo Euangelium, omnibus praedicandum, commendavit, Matth. 28: 19. Ejusque Apostoli docuerunt, hanc, quippe perfectissimam, ultimam esse his in terris institutionem Divinam; conf. Hebr. capp. 8, 9, 12.

Praestantissimam igitur dicimus religionem, quam Jesus Christus spectavit, non *unam praestantem*, quia nulla vera religio est, quin aliquam praestantiam habeat.

Imo sola est *absolute praestans*, qualis in ipso Jesu Christo plane perfecta aderat et ex ipsius mente in Christianis magis magisque fieri debet.

§ 74.

Religionis praestantia universe spectata.

Religionis praestantia, uti ex ipsius naturâ, § 10 descriptâ, liquet, in eo posita est, ut homines, convenienter ipsorum ingenio et indigentiae, vere et intus conjungat cum Deo vereque incitet ad huic conjunctioni consentaneâ ratione volendum, cogitandum, agendum. Praestantia igitur religionis maxima in eo sita est, ut non modo aliquos, sed omnes, quam maxime convenienter ipsorum naturae atque destinationi, verissime et intime cum Deo jungat efficacissimeque incitet ad huic conjunctioni consentaneâ ratione vivendum.

Religio omnis, quae saltem pluribus hominibus communis evasit Ecclesiamque efficit, nixa est traditione patefactionis alicujus singularis, quae, licet plerumque magnam partem ficta sit, raro ita composita est, quin multum veri atque Divini contineat. Conf. *Theol. nat.* § VII, 1, 2. Ex hoc ipso cum hominis, tum et religionis elucet praestantia. Quae enim animalibus brutis sufficit rerum natura, homini non sufficit. Hic supra eam escendere et potest et debet. Ergo dum illis instinctus est, quo in eadem, qua per rerum naturam versantur, conditione semper consistunt; homini, ratione praedito, concedi et potest et debet singularis et sensim procedens cura Divina, qua supra externam rerum naturam evehatur et sensim ad sublimiora progrediatur. Itaque Deus et primaevo generi humano per Adamum et Noachum se peculiari modo patefecit, et deinde gentium fata rexit, et imprimis inter eas suscitavit Confucium, Zoroastrem, Socratem, maxime inter Hebraeos Mosem, Jesaiam, alios, denique in omni genere humano Jesum Christum, ut illorum fatorum vi et horum hominum institutione ad sublimiorem sensim perveniret genus humanum conditionem spiritualem.

§ 75.

Religionis Christianae praestantia quaenam sit.

Religio nulla est, quae non homines aliquos, pro ipsorum captu cultuque, erigat ad naturam superiorem, atque ita incitet ad intèlligibilia expetenda et cogitanda.

Religio vero Christiana est a perfectissimo, Jesu Christo, profecta, jam in gentibus maxime diversis invaluit, eamque habet naturam, ut omnibus omnino desideriis satisfaciat, fierique igitur et possit et debeat maxime universalis. Ergo hanc habet excellentiam, ut non modo aliquos homines, sed omnis generis, aetatis, gentis homines quoscunque, qui eam fovere omnes possunt, neque aliquas modo horum hominum facultates, sed has facultates omnes hominesque totos erigat ad supremam Dei, qualis verissime est, naturam, cumque hac intime eos conjungat; atque hoc ipso efficacissime omnes incitet ad Dei voluntati verae convenienter omnino volendum, cogitandum, agendum.

Hanc, quam, fide ad id ducti, sentimus et experimur ipsi praestantiam esse religionis Christianae, Apologetica jam erudite exponere debet religioni huic vere et unice esse propriam.

Est ergo ei agendum de religionis, qualis *per Christum* historice exstitit atque per Christum magis magisque fieri et potest et debet, excellentiâ. Non de *notione* vel *ideâ* religionis, a Christo primum excitatâ, a nobis philosophice perficiendâ agitur, sed de *religione* ipsâ per Christum et excitatâ et perpetuo perficiendâ.

Quodsi igitur hodie philosophi nonnulli, aeque atque antea Rationalistae, dicunt se philosophiâ suâ perficere, quod sine philosophia incepit Christus, atque ita hujus ipsius se ulterius exsequi consilium, neque vere dicunt coll. v. c. Joh. 14: 6 et c. 17, neque distinguunt inter *notionem* religionis, quam philosophice ipsi perficere student, et inter *religionem* ipsam, quam Christus effecit perpetuoque perficit.

De hujus autem *religionis* praestantia Apologeticae agendum est. Non igitur aut de doctrinae Jesu Apos-

tolorumve excellentiâ, aut de miraculorum, quibus hanc commendarunt, Divinitate, aut de Codicis Sacri, e quo religionis illius cognitio hauritur, perfectione, aut de alia quacunque re ad illam religionem quodammodo pertinente, per se aut propter se agendum est; sed de religione ipsa eaque tota, uti per Christum in Ecclesia jam exstitit et magis magisque est efficienda.

Denique de religionis hujus *praestantiâ* agendum est Apologeticae. Neque igitur existimandum, vel solummodo vel praecipue *originem* ejus extra ordinem Divinam esse probandam vindicandamque. Rei enim alicujus praestantia non praecipue aut unice cognoscitur ex ipsius origine, sed ex ipsius natura, qualem haec se contemplandam aut experiundam praebet. Imo contra natura religionis Christianae praestantissima planeque et unice Divina originem ipsius simul plane atque unicâ ratione Divinam arguit.

Opinio multorum, existimantium, praecipue de origine peculiariter Divina agendum esse, fontem in eo habet, quod *auctoritas* Divina unice respici soleat in causa rei Christianae, non praestantia ejus et interna excellentia. Contra optimis quibusque temporibus, inde a Jesu Apostolisque ad nostram usque aetatem, religionem Christianam suâ se praestantiâ internâ praecipue et commendasse et vindicasse, atque commendare et vindicare se praecipue debere, docuit PAREAU, *Het Christendom, zijne eigene Apologie in zich dragende, of, Waardoor is het voornamelijk, dat het Christendom zich zelf verdedigt en aanbeveelt?* in *Waarh. in Liefde*, 1848, III.

§ 76.

Apologia et Apologetica, eaque Christiana, quaenam sit.

I. Religio omnis, quae non potest non se manifestare cultu sacro, artibus, vita, et, si cultior est, narrationibus atque ratiociniis, hac ipsa manifestatione sese commendare et cum aliis communicare studet, coll. § 15. Ergo quando sui sibi conscia est, praestantiam suam ratiocinationibus ipsa indicat. Quae *praestantiae exposi-*

tio ratiociniis contenta est *Apologia*. Haec in omni populari religionis praedicatione sponte sua adest.

Quum autem, progrediente cultu et rationis explicatione, non in singulis quibusdam ejus praestantiae documentis sentiendis et indicandis subsistere homo queat, sed, coll. § 1—3, universam illam praestantiam penitus perspicere et exponere luculentissime studeat, hinc oritur *Apologetica*, id est *philosopha ejus praestantiae indagatio et expositio*. — Hujus pars quidem est, sed modo ignobilior, defensio. Ipsa tota id agit, ut ex internâ atque integrâ religionis naturâ perspiciatur ipsius excellentia, quae, si modo perspicitur, se ipsa optime defendit.

Graecis ἀπολογία est quidem saepe *defensio*, sed aeque atque ἀπόλογος propriâ suâ vi est *ratiociniis contenta* rei *expositio*, qua ejus natura commendetur. — *Apologiae* et *Apologeticae* discrimini respondet in veritatis Divinae expositione discrimen, quod multi faciunt inter *fidei* sive *religionis doctrinam* et *dogmaticam*.

II. Ergo Apologetica Christiana, quod ad argumentum, exponere universe debet, religionem Christianam revera esse, uti eam § 75 descripsimus, praestantissimam; specialiter autem in luce ponere, coll. eadem §°, et Jesum Christum esse perfectissimum, et religionem hanc jam in genere humano esse reliquis omnibus perfectiorem, et eandem indole sua eo tendere, ut una in toto genere humano fiat maxime perfecta.

Quod ad formam autem, coll. § 4, 18, Apologetica Christiana, ex eo quod naturae humanae consentaneum est proficiscens, philosophice ostendit, religionem Christianam esse praestantissimam; et id ipsum consilio agit philosophico hocce, ut et ipsi magis conscii nobis fiamus, esse eam praestantissimam, et id aliis exponamus clarius.

Poterit igitur, praemissâ Dogmaticâ, nunc in multis Apologetica exponi quam brevissime. Sin Apologetica separatim, sine praemissa Dogmatica tractetur, in illa necesse sit, in antecessum aut speculative aut historico-philosophice ostendere, quod nobis in hac

jam patuit, verissimam esse religionem, quam Christus praebet. Religio enim, nisi vera sit, esse praestans non potest, neque igitur praestantissima, nisi sit verissima. Illud autem si speculative agitur, negligitur rei Christianae indoles historica et doctrinae cuidam Christianae, speculative expositae, tribuitur pretium, quod soli ipsi patefactioni atque institutioni per Christum Divinae competit; sin historico-philosophice idem fit, in apologeticae limine brevis erit Dogmatica tradenda, orieturque igitur Dogmatica duplex, altera brevior, prolixior altera. Longe ergo aptius videtur, Apologeticam Dogmaticae postponere. Etenim nos cum in Dogmatica jam viderimus, qualis Jesus Christus, quale ejus opus et qualis per eum acquirenda salus *vere* sit, item qualis sit horum cum iis, quae ante Jesu in terris apparitionem locum habuerunt, *vera* conjunctio: ex hac vera praestantissimorum illorum natura et perspecta cum his reliquis conjunctione facillime ipsam illorum *praestantiam* veram discernimus eamque plerumque paucis modo indicamus.

§ 77.

Apologiae et Apologeticae Christianae fundamentum et cum fide conjunctio.

I. Fundamentum verae Apologiae cum omnis tum etiam Christianae est convenientia religionis Divinae cum indigentia ingenii, quod nobis hominibus est, Divini. Etenim est homini ingenium Divinum, ei Divinitus innatum, quo et indiget et uti potest institutione Divina omni, etiam singulari, coll. § 74, quoque solo potest institutionis Divinae praestantiam sentire et, ut sibi adhibere, ita aliis quoque commendare. Sic ergo patefactionis et institutionis Christianae praestantiam Divinam ingenio suo Divinitus sentit et ideo suscipit homo Christianus, id est fidem habet, coll. § 18, 23. Quam autem ita Divinitus suâ ipse experientiâ sentit et magis magisque perspicere discit, Christianae religionis excellentiam, hanc etiam aliis commendare studet. Igitur Apologia Christiana omnis continetur *testimonio spiritûs sancti*, uti

appellari solet, id est testificatione vitae Divinae, quam ingenio suo, Divinitus indito, per Christum suscepit et habet homo vere Christianus.

Neque methodo mere *philosopha*, qua ab initio inquiratur, qualis esse religio praestantissima debeat, et ad haec criteria exigatur religio Christiana, neque methodo *historica*, qua e miraculis, admiranda Euangelii propagatione similibusque probetur religio haec esse Divina ideoque praestantissima, rite procedere posse Apologiam Christianam, sed *religionem Christianam suae ipsam Divinitatis in animo humano vindicem esse*, omnemque Apologiam contineri debere *testimonio spiritûs sancti*, rite indicarunt J. H. SCHOLTEN, in *Orat. Lugd. Bat.* 1843 et J. I. VAN OOSTERZEE, *Jaarboeken voor Wetenschappelijke Theologie*, I *D.* 1 *St. Utrecht* 1845. Adde PAREAU, Disp. p. 182 cit.

Hoc si teneas, vides errare eos, qui cum KANTIO, *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, III *Stück*, et HEMSTERHUSIO, *Lettre sur l'homme et ses rapports*, *Op.* T. I. p. 223 seqq., patefactionem singularem non omnibus hominibus informandis aptam censent, quia, si illa non immediate singulis Divinitus praebeatur, ejus Divinitatem plerique agnoscere nequeant, nisi aliorum hominum, eruditorum nempe qui in eam inquisiverunt, auctoritate nixi, quod in causa religionis ferri nequeat. Imo suo singuli ingenio Divino sentire et, quo cultiores fiunt, eo magis perspicere possunt patefactionis institutionisque, per Christum datae, Divinam praestantiam naturae suae unice pleneque satisfacientem.

Ita et Apostoli et ipse Jesus ad hominum conscientiam et Divinum iis innatum ingenium provocarunt, Joh. 7: 17, Act 17: 28 seq., Rom. 2: 14 seq., 2 Cor. 4: 2, estque igitur iis etiam summum Dei in Christianorum animis testimonium hocce, quo hi sibi conscii sunt, Divinam se vitam per Jesum Christum habere, Matth. 16: 17, Rom. 8: 16, 1 Joh. 5: 11, 12.

In summa Ecclesiae corruptela, quum omnia Hierarchiae arbitrio essent subjecta, hoc animi humani, ideoque Christianorum omnium, jus iterum vindicavit

ERASMUS, saepe exhortans aequales, ut omnes et legerent et sibi explicarent et in suum ipsi usum converterent N. F^is oracula. Cujus exhortationis fundamentum sic exponit, in appendice, *Pio Lectori* inscripta, adjecta ipsius *Paraphrasi in Euang. Matthaei*, ut omnibus Christianis ostendat esse hoc triplex veri in N. F^e detegendi criterium et adjumentum: „Certissimum cuique suffragium est testimoni-„um *suae conscientiae.* Proximum est consensus „scripturae et *vitae Christi.* Denique *quaedam dilu-„cidiora* sunt, quam ut oporteat ambigere aut requi-„rere interpretem."

II. In Apologetica igitur, aeque atque in Dogmatica, coll. § 23, a fide ad intellectum procedimus, et, quam primum sensimus et per fidem experientia ipsi nostra cognovimus religionis Christianae praestantiam, hanc deinde philosophice indagamus. Quare haec etiam est e fide nata proles, quae matrem nutrit et confirmat.

Haec autem Apologetica cum non in obscuriore et semper etiamnum imperfecto sensu subsistat, sed philosophice Christianae religionis praestantiam omnem indagare et exponere studeat, rationis ope clare perspicere conatur id, quod in optimorum quorumque Christianorum animo testatur Divinus spiritus. Itaque *et* ipsum omnis commendationis fundamentum, in convenientia Divinae religionis cum Divino hominis ingenio positum, rationis ope explorat, ut, quid vere huic necessarium atque congruum sit, videat; *et* nostrae de re Christiana cognitionis, quatenus historica est, fontes critice indagat, ut quam certa ea sit discernat; *et* hujus ipsius religionis Christianae praestantiam ab omnibus partibus contemplatur, ut, quibusnam in rebus ea elucescat, distincte ob oculos ponat.

Ita, qui inter Apostolos solus magis philosophus est religionis Christianae Apologeta, Paulus, praesertim in Epistola ad Romanos, quid humani generis ingenio et conditioni necessarium sit, et quomodo ei satisfaciat religio Christiana, exposuit; idemque interdum etiam cognitionis historicae fontes indicavit, veluti 1 Cor. 15: 5 seqq. Cum Paulo igitur uti di-

cimus: πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν, 2 Cor. 4: 13, ita etiam Divinam Euangelii religionisque Christianae praestantiam, quam fide ipsi nostra experiundo didicimus, cum eodem rationis ope inquirimus, ut nobis aliisque clare pateat, λογικὴν εἶναι τὴν λατρείαν ἡμῶν, Rom. 12: 1.

§ 78.

Apologeticae Christianae distributio.

Apologetica igitur Christiana, coll. § 76, exponat et praestantiam originis rei Christianae, et praestantiam effectus qui jam adest, et praestantiam consilii, ad quod efficiendum tendit. Ergo commendet praestantiam auctoris, Jesu Christi, et duplici modo praestantiam indolis religionis, nempe qualis ex auctoris illius mente non modo jam adest, sed et qualis esse potest et magis magisque fieri debet.

Itaque Sectiones sunt tres: 1) Commendatio Jesu Christi, 2) Commendatio Ecclesiae Christi, 3) Commendatio religionis Christianae.

Apologeticae historiam exposuimus *Encyclop.* § 113.

PARTIS POSTERIORIS

SIVE

APOLOGETICAE CHRISTIANAE

SECTIO I.

COMMENDATIO JESU CHRISTI.

A. Praeparatio.

§ 79.

Commendatio Jesu Christi undenam sit haurienda.

Vidimus § 24, Jesum Christum cognoscendum esse ex vita ipsius hac in terra et ex vita ipsius perpetua in Ecclesia; quae cognitio igitur ex puris fontibus haurienda est, ut ipsa vera sit.

Praestantia igitur Jesu Christi cognoscitur, si comparatur ipse cum sapientissimis optimisque, qui unquam in humano genere apparuerunt, sique cernimus, eum non modo his singulis excellentiorem, sed et, supra quam cogitari potest, perfectissimum esse, et ideo unum salutis summae generi humano auctorem. Ut hoc autem rite, et certo nixi fundamento, peragamus, opus erit, ut etiam fontes, unde cognitio ipsius hauriatur, rite aestimentur.

De his fontibus et universe de libris S. commendandis agere non possumus, nisi postquam constitit, *quonam respectu* eos commendemus. Neque enim ut linguae purae exemplum, aut virtutis docendae codicem, aut juris Divini corpus, laudare debemus Codicem S.; sed tanquam fontem, unde cognoscamus Jesum Christum omnemque institutionem Divinam singula-

rem, qua ad Jesum Christum suscipiendum praeparabatur et adducitur genus humanum. Nisi hunc respectum rite teneamus, facile graviter erremus in commendandis Bibliis.

§ 80.

Illa commendatio quomodo inde hactenus sit hausta.

1. Jesus ipse se commendavit *hominem perfectum*, qui idem Dei erat Filius, in quo se Pater patefaciebat in hominum salutem, quique ergo non modo Judaeorum erat Messias, sed mundi totius Conservator et Beator.

Cognitionis hujus fontem omnibus exhibebat *semet ipsum*, quem omnes sensu et experientia sua sponte talem agnoscerent. Caeterum ut cognitionem et agnitionem hanc adjuvaret, cum ad universam rerum, speciatim hominum, naturam, tum etiam ad specialem Judaeis datam V. F^is^ institutionem provocabat.

2. Primis temporibus Apostoli et Apologetae *ipsum commendare Jesum Christum* studuerunt, tanquam Messiam promissum, omnium hominum Servatorem, Dei interpretem sive λόγον, philosophis omnibus praestantiorem, civitatis Divinae conditorem.

Fontes si spectas, Apostoli praecipue ad suum *de Jesu Christo testimonium* provocabant, id quod ipsi viderant et experti erant, aliis ore tradentes. Scripta N. F^is^ primum quidem nondum commendabantur, quippe quae aut nondum exstiterant, aut, quum exstitissent, nondum collecta erant atque in canonem Ecclesiasticum recepta. Ideo diu soli fere *libri V. F^is^* laudati sunt, ut libris humanis omnibus excellentiores et Divini ac futurum Christum plenissime annuntiantes; ita a Justino etiamnum Martyre. Postquam vero Marcion, ut suam commendaret gnosin, Euangelii Lucae et decem Epistolarum Paulinarum collectionem instituisset, alii aliis libris Apostolicis et Christianis hanc augere collectionem studuerunt. Sic Judaeorum libris S. sensim libri quidam *Apostolorum et primorum Ecclesiae doctorum aliorum*, v. c. Marci, Lucae, Barnabae, Clementis Romani, Hermae, sunt additi, et variis etiam versionibus pro-

pagati. Uti autem ipse jam Paulus Apostolus Euangelicam de Jesu Christo traditionem, sive ore sive scripto traditam, commendaverat, 2 Thess. 2: 15, c. 3: 6; ita Ignatius (apud Eusebium, Hist. Eccl. III, 36) et Polycarpus, Epist. c. 7, ad eam provocant; sed imprimis, contra Gnosticos disputans, Irenaeus fontem unum habuit *Ecclesiae de Jesu Christo traditionem*, eamque contentam cum libris illis scriptis, tum testimoniis ore propagatis. Qui incertam hanc Ecclesiarum de libris illis traditionem et sententiam ad examen revocaret et *canonem N. F^is^* ita constitueret, ut libri ὁμολογούμενοι et ἀντιλεγόμενοι et νόθοι distinguerentur, Eusebius fuit, Hist. Eccles. III., 25.

3. Deinde omnibus quidem temporibus fuere, qui aut Codicem S. magni facerent et ex eo cognitum Jesum Christum laudarent, veluti Pauliciani et Waldenses, aut certe Jesum Christum imitandum proponerent, uti nonnulli Mystici. Sed, si universam Christianorum rationem spectas, diu minus ipse Jesus Christus, quam principes in Ecclesia homines, *in quibus Jesus vivebat*, laudati sunt, sive ob vitae suae sanctitatem, sive ob muneris Divinam auctoritatem.

Atque ita universe etiam multo minus Codex S., quam *Ecclesiastica traditio* est laudata, quae nunc non amplius tanquam testimonium de Jesu Christo, sed tanquam auctoritas quaedam proposita est, cui doctrina et disciplina esset subjecta. In Oriente maxime Conciliorum Oecumenicorum decreta, in Occidente imprimis Augustini scripta summo sunt loco habita. Itaque cum in Europa Germanica oriretur nova quaedam philosophia, huic fundamentum praebuerunt Scholastici ipsam illam traditionem Ecclesiasticam, dicentes a fide se ad intellectum procedere.

4. Abusui, ex hac Ecclesiastica ratione orto, sese opposuere cum Reformationis Prodromi, tum Reformatores. Atque ita hi *Jesum unum Mediatorem* laudarunt, contemserunt cum Sanctos, tum vicarios Jesu Christi omnes, imo Jesu Christi vim spiritumque, in Ecclesia semper viventem, neglexerunt. Traditionis loco iidem

Euangelium primum, postea *Codicem S.* commendarunt. In Ecclesiis, quae ab iis profectae sunt, deinde Jesu commendatio eadem fere mansit. Codex S. autem ita habitus commendatusque est, tanquam solus codex doctrinae legisque Divinae, ut praeter eum sapiendum esset nihil, traditioque Ecclesiastica antiqua vehementer impugnaretur. Vel sic tamen ipsorum Protestantium *Libri Symbolici* sensim a multis eodem paene, atque Codex S., loco sunt habiti.

Magnam haec omnia vim habuerunt etiam in Romano-Catholicis. Atque ita, licet Sanctos laudare pergerent atque traditionem, tamen Sanctis Jesum Christum, traditioni Codicem S. praeponendum duxerunt, certe sapientiores eorum multi, veluti Jansenistae.

5. Inde a fine saeculi XVIII, per immutatam Theologicarum doctrinarum faciem, factum est, ut sensim magis *a variis partibus Jesus Christus* commendaretur, ut sapientissimus, prouti a Reinhardo, sanctus, uti ab Ullmanno, et historiae generis humani totius centrum, ad quem gens nostra praeparata, per quem instaurata a Deo est, prouti a Schellingio (in disputatione, *Ueber das Wesen der menschlichen Freiheit.*)

Inde ab eodem tempore item magis indagati sunt critice fontes, unde Jesus Christus cognoscitur, et imprimis quidem *libri Sacri*, nominatim etiam *N. F^is*; unde nova doctrina Introitûs in V. et N. F. exstitit. Praeterea etiam *Ecclesiae historia* multo magis tractata est, et critice ejus fontes sunt indagati; quanquam nondum eo nominatim consilio, ut inde Jesus Christus cognosceretur. Item critice magis indagatum est vinculum, quod inter Jesu Christi apparitionem intercedit et inter res Israëliticas, V. F^is libris contentas, atque omnem humanitatis historiam.

§ 81.

Quomodo inde nunc haurienda sit Jesu Christi commendatio.

1. Praecipuo loco commendandus est ipse Jesus Christus, huic negotio subordinata est disquisitio fontium.

2. Non ab una tantum parte Jesus Christus commendandus est, uti a sola vita his in terris acta, aut a munere Mediatoris solo, sed ab omnibus partibus cum personae suae tum operis; quo pateat, eum unum satisfacere omnibus, quorum capax est genus humanum, quibusque ad summam salutem huic opus est.

3. Videndum igitur est de praestantia personae Jesu Christi, de excellentia operis ejus, et de bonitate fontium, unde haec cognoscantur.

4. Ordo optimus videtur esse, ut, postquam indagaverimus, quaenam ex his fontibus haurienda sint, disquiramus priori loco de horum fontium puritate et copia, tum posteriori eoque praecipuo loco, de ipsa, inde cognita, Jesu Christi praestantia.

> Nempe alterum ab altero pendet. Personam et opus Jesu novimus tantum e fontibus, qui quales sint, ideo inquirere debemus. Sed, quid ex his sit hauriendum, prius leviter adumbrandum est. Conf. annot. ad § 79.

§ 82.

Quid de Jesu Christo ex fontibus, unde ille cognoscitur, sit hauriendum.

Ad praestantiam Jesu Christi aestimandam opus est, ut cognoscamus ejus excellentiam cum a parte personae, tum a parte operis ipsius, ut pateat, eum vere esse unicum.

Ad personae autem illius excellentiam cognoscendam requiritur, non tam, ut singula, quae unquam dixerit egeritve et adhuc agat, omnia cognita habeamus, coll. Joh. 20: 30, 31; sed vita ejus ita perspecta nobis esse debet, ut characterem ejus dignoscere queamus, quo pateat animo, mente, voluntate atque vi agendi in genere humano plane unicus. Similiterque ad ipsius ex opere, quod peragendum suscepit, excellentiam cognoscendam requiritur, non quidem, ut singularia, quae unquam fecit aut efficere voluit, omnia enumerare queamus, sed ut universum generis humani beandi consilium, quale sibi proposuit, methodumque, qua id as-

sequi voluit, perspiciamus ita, ut hoc propositum in gente humana plane singulare et unicum esse, pateat. — De effectu hujus propositi postea erit agendum Sect. II.

Itaque fontes, unde Jesu Christi vita, et his in terris acta et in Ecclesiae moderamine patefacta, cognoscitur, ita sunt critice aestimandi, ut appareat, num sufficiant ad Jesum sic, uti opus esse nunc vidimus, pernoscendum.

In Apologia populari sufficit observasse, talem personam, qualem Euangelia nobis pingunt, fingi ab horum scriptoribus non potuisse, eosque in suis narrationibus manifesto verum testari voluisse. In Apologetica vero philosophice pretium horum et reliquorum fontium aestimandum est, suntque ergo hi critice indagandi.

B. Fontium commendatio.

§ 83.

Fontes, unde Jesu Christi praestantia cognoscatur.

I. Fontes, unde Jesu Christi praestantia cognoscatur, praecipui sive primarii sunt ii, e quibus Jesu Christi cognitio purissima hauriri potest. Sunt autem hi:

1°. *Euangelia*: quae consideranda sunt, non ut biographiae Jesu absolutae, sed ut monumenta, quibus continentur testimonia de Jesu Christo, edita a testibus oculatis et auritis, quorum ope nos biographiam Jesu, secundum aetatis nostrae indigentiam, delineare debemus.

Ita NEANDER imprimis recte de his Euangeliis judicavit, quod cernitur ex ejus *Leben Jesu*.

2°. *Apostolorum Epistolae*, N. F[is] codice contentae: quae hoc loco tantummodo considerandae sunt, ut testimonia aequalium, qui intime Jesum Christum cognoverunt.

3°. *Acta Apostolorum*: id est fragmenta historica, res quasdam de priorum temporum Ecclesia praecipuas enarrantia, a Luca congesta, in quibus Jesum Christum, non amplius adspectabilem, Ecclesiae moderatorem

cernimus, in Apostolis agentem et Ecclesiae primaevae curam habentem.

II. Fontes secundarii sunt, unde luculenter quidem Jesus Christus cognosci potest, nec tamen per se certo potest dignosci, quaenam pure sint ipsi Jesu Christo tribuenda, nisi exinde haustam notitiam comparaverimus cum Jesu Christi cognitione pura ex fontibus illis primariis ducta. Hi sunt

1°. *Traditio Ecclesiae historica:* id est constans et perpetuum testimonium Ecclesiae, factis verbisque manifestatum, de Jesu Christo, ipsius auctore. Manifestatio ejus, factis conspicua, continetur imprimis diebus festis ab initio inde celebratis, quibus Jesu Christi vita, mors et in vitam reditus sunt commemorata. Operis ipsius vim quandam praecipuam, morte ipsius contentam, omni aevo celebratâ sacrâ Coenâ, sive simplici coenae sive etiam missae formâ, Ecclesia commemoravit. His factis accesserunt omni aevo verba Euangelici praeconii, sive purioris sive minus puri, sed Jesum Christum semper Ecclesiae auctorem celebrantis.

2°. *Testimonia Christianorum* de vi Jesu Christi, quam ipsi in animis mentibusque experti erant; quaeque hi sive epistolis sive aliis scriptis omni aevo consignarunt ad illum Jesum Christum aequalibus commendandum.

Quanti pretii hoc sit et quam simile testimonio ab Apostolis edito in suis epistolis, sensit imprimis J. M. SAILER, qui collegit *Briefe aus allen Jahrhunderte der christlichen Zeitrechnung*, 6 Voll., quarum epistolarum initium faciunt duae, e N. F. desumtae.

3°. Ut Lucas fragmenta congessit historiae antiquissimorum Ecclesiae temporum, ita per omnia saecula exstiterunt etiam *diplomata et documenta* praecipuarum rerum in Ecclesia gestarum, quae congesserunt Historici, v. c. Eusebius, Centuriarum Magdeburgensium auctores, Baronius, alii.

Ad fontes hos secundarios referre etiam possis V. F^is^ libros, de Messia et temporibus melioribus per eum adducendis vaticinantes. Quum vero minus persona ipsa *Jesu*, quam *Christi opus* et Ecclesia, per ipsum

condita, inde cognoscatur, hos libros tanquam fontes secundarios potius spectamus Sectione II, ubi de *Ecclesia* agimus.

§ 84.

Horum fontium aestimatio critica.

Critice aestimandi sunt hi fontes, imprimis praecipui, § 83 n. I. laudati, ut pateat, eos sufficere ad Jesu Christi praestantiam ita, ut § 82 indicavimus, inde cognoscendam.

1. Jam vero *integra* satis ad nos pervenerunt monumenta cum fontium primariorum illorum, tum etiam plurimorum secundariorum. Illa quidem monumenta, quae diu ante inventam artem typographicam exstiterunt, susceperunt vitia non pauca, describendo orta. Etsi vero ex centenis aliquot codicibus manuscriptis et versionibus magna lectionis varietas colligi facile possit, vel sic tamen, imprimis librorum N. F^{is}, sententia, paucissimis locis exceptis, ubique plane constat; ejusque N. F^{is} nullum est exemplum sive manuscriptum, sive typis editum, sive Graecum, sive in aliam quandam linguam conversum, tam corruptum, quin vel ex eo solo Jesus Christus cognosci queat, ut plane unicus.

2. *Authentici* dicuntur libri, qui vel ab iis auctoribus vel a talibus auctoribus vere sunt orti, quos vel quales auctores libri ipsi prae se ferunt. — Fontes primarios quod attinet, etiamnum ex interna eorum indole constat, Ecclesiam hos universe, sensu justo ductam, recte e reliquis elegisse, atque authenticos esse eos N. F^{is} libros, quos jam, Ecclesiae sententiam secutus, Eusebius ut ὁμολογουμένους designavit, id est omnes N. F^{is} libros, exceptis Epistolis Jacobi, altera Petri, secunda et tertia Johannis, atque Judae, et libro Apocalypseos. Et haec quidem scripta antilegomena sive habeantur authentica, sive minus, ad Christum magis cognoscendum, parum refert. Canon autem, qui jam exstat, maxime constitutus est auctoritate Augustini in Synodis a. 393 et deinde habitis.

Nomen scriptoris plerumque parum facit ad authentiam

libri, dummodo hic a tali, qualem prae se fert, homine vere scriptus sit, non falso ei suppositus. Sic Epistola ad Hebraeos authentica est, quamvis a Paulo scripta non habeatur.

Quod ad fontes secundarios attinet, observandum quidem est, antiquitus piâ, ut dicebatur, fraude nonnumquam usos esse Christianos, ut nomine auctoris cujusdam celebrati commendarent scripta sua. Qua re temporibus minus criticis haud pauci in errorem duci se passi sunt. Exemplum famosissimum praebent *Decretales Isidori*, quibus diu tanquam genuinis usi sunt Romano-Catholici. Posterioribus autem temporibus variarum familiarum Christianarum discrepantia primum, deinde historiae criticae studium inservierunt ad falsos libros a genuinis discernendos. Sunt autem hi, spurii habendi, non nisi pauci, si comparantur cum iis, qui certo sunt authentici: et, illis omnibus rejectis, supersunt abunde scripta, ex quibus justa peti potest notio vitae Jesu Christi in Ecclesia per varia tempora.

3. *Fides historica* merito tribuitur iis scriptis, quorum auctores et res, quas narrarunt, bene cognoverunt, et ita, ut cognoverant, narrare voluerunt. Qua in re, ut sponte patet, non opus est statuere, eos nunquam, ne vel in minimis rerum adjunctis commemorandis errasse; quod conceditur etiam in iis scriptoribus, quorum fides historica summo habetur loco. — Jam vero ejusmodi fides historica tuto tribuenda est non modo fontibus primariis, sed etiam secundariis permultis.

Nempe *a*) cum temporis Jesu Apostolorumque et Ecclesiae primaevae, tum etiam insequentium saeculorum omnium habemus scripta, testimonium continentia eorum, qui res, quas narrarunt, aut viderunt egeruntve ipsi, aut e monumentis testium oculatorum hauserunt, et qui nullis illecebris pellici potuerunt, ut verum non narrarent, cum plerumque propter verum illud, quod professi sunt, multorum injurias aut vexationes incurrerent.

b) Hi ipsi fontes admodum varii sunt, atque haec varietas ipsa fidem eorum historicam confirmat. Ita Euangelia quatuor indolem habent admodum diversam;

et vel sic tamen in rebus gravissimis quibusque et in minutissimis etiam permultis plane consentiunt. Ab his Euangeliis diversae sunt admodum indole sua Epistolae; et tamen hae ipsae, quod ad primaria vitae Jesu Christi lineamenta penitus cum iis congruunt. Cum his Apostolicis scriptis denuo consentiunt Patrum Apostolicorum scripta, v. c. Epistolae Clementis Romani, Ignatii et Polycarpi. Atque sic posterioris cujusque aevi scripta apte congruunt aevi cujusque anterioris monumentis. Pariter in historia temporum Ecclesiae insequentium habemus plerumque testium admodum variorum, vel etiam partium diversarum atque oppositarum monumenta, varia illa quidem, sed ita in gravioribus certe rebus consententia, ut tuto inde historiae cognitio vera hauriri queat.

De Euangeliis conf. omnino F. A. KRUMMACHER, *Ueber den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte*; item HOFSTEDE DE GROOT, *Het onderscheid tusschen de voorstelling en uitdrukking van Jezus en van Johannes, in het Evangelie van Johannes op te merken*, in *Waarh. in Liefde*, 1837, I; PAREAU, *Aanwijzing van het verschil, dat er bestaat tusschen de leer en leerwijze van Jezus bij Johannes en van Johannes zelven, vooral in zijne Brieven*, ibid. 1847, III. De Actis et Epistolis Pauli conf. W. PALEY, *Horae Paulinae* et V. OORDT, *Paulus in betrekking tot de andere Apostelen. Voorafgegaan van aanmerkingen omtrent de Tubinger School*, in *Waarh. in Liefde*, 1848, I, II.

c) Consensus horum fontium cum rebus in facto positis monumentisque adspectabilibus, hucusque superstitibus, etiam fidem illorum historicam confirmat. Nummi lapidesque, qui hodieque etiamnum effodiuntur aut supersunt, adspectabiles reddunt ipsius quoque Ecclesiae primaevae res, libris illis narratas. Templa imaginesque sacrae multa variorum temporum facta referunt. Festi dies mortis et in vitam reditûs Jesu Christi, qui hodie celebrantur, sine interruptione omnibus temporibus celebrati sunt, atque ita confirmant primaria Jesu Christi vitae, his in terris actae, lineamenta. Ipsius vero

etiam Ecclesiae Christianae exsistentia, qualis hodieque est et per gentes maxime varias dispersa adspicitur, auctorem arguit Jesum Christum talem, qualem nobis Euangelia pingunt.

Quodsi coll. § 37 teneas Ecclesiae Christianae in mundo per peccatum depravato originem, conservationem et perfectionem perpetuum quoddam esse miraculum, neque nisi ex Jesu Christi vita plane Divina, tanquam idonea et naturali causa, posse explicari: vides ex ipsa hac Ecclesiae exsistentia, auctorem arguente Jesum Christum talem, qualem Euangelia pingunt, plane refutari Straussium, qui Ecclesiam fingit hujus imaginis Jesu Christi auctorem.

Conf. omnino ULLMANN, *Was setzt die Stiftung der christlichen Kirche durch einen Gekreuzigten voraus?* et *Kritik des Lebens Jesu von Strauss*, in libro *Historisch oder Mythisch? Hamb.* 1838. Conferri etiam merentur, quae scripsit A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, A.FIL., *De Philippo a Limborch*, p. 104 in annot. 2.

d) Insuper etiam fides illa historica confirmatur testimoniis, extra Christianam Ecclesiam editis. Huic confirmationi inserviunt cum scriptores Judaici, imprimis Josephus, qui Johannem Baptistam et Jacobum fratrem Jesu Christi commemorat; tum Gentiles, imprimis Tacitus, qui Jesum sub Pilato cruci affixum testatur, Plinius, qui Ecclesiam primaevam, eamque Christo sacram, commemorat, Celsus, Julianus, alii, qui Ecclesiae Christianae doctrinam quidem disciplinamque, nunquam vero ejus a Jesu Christo repetendam originem historicam, impugnarunt; tum etiam Mohammedes et Mohammedani, qui in Corano Jesum agnoverunt prophetam, sepulcrum ejus sacrum venerantur, et in scriptis suis fidem fortitudinemque Christianorum, imprimis expeditionum cruciatarum tempore manifestatam, commemorant.

Conf. LARDNER, *Collection of Jewish and Heathen tesmonies to the truth of the Christian religion. Lond.* 1764—1766. 4 voll.

e) Fides historica haec nullo modo debilitatur eo, quod multa, ipsius imprimis Jesu Christi, facta fataque

miraculosa fontibus hisce exhibentur. Namque facta ejusmodi fataque plane singularia prorsus congruunt personae Jesu Christi prorsus singulari. Atque hanc ipsam Jesu personam si aut consulto fictam, aut traditione mythica sensim effictam exornatamque fuisse statuas; miraculum sumis multo majus, imo prorsus incredibile. Etenim, si qui creare non modo universalem quandam et leviter adumbratam imaginem sive ideam, sed historiam in minimis aeque et maximis elaboratam potuissent talis tantique et tam sancti viri, quam nobis depingitur in Euangeliis Jesus Christus: hi ipsi creatâ hac ab ipsis personâ superiores esse debuissent. Imo tum sumas, Christianos primos, qui usque ad Alexandrinos Patres, Euangeliis nostris jam usos, vixerunt ac paene omnes indocti et rudes fuerunt, depinxisse historiam elaboratam viri *ἀναμαρτήτου* sanctique, cujus ne universalem ideam quidem Prophetae Hebraei aut Philosophi Graeci Romanique excellentissimi satis perfecte sibi proponere potuerunt. Quid, quod hodieque adest Ecclesia Christiana, quae non modo ideam hanc *ἀναμαρτησίας* et sanctitatis perfectam habet, sed et hanc ipsa magis magisque assequi et re factoque in omnibus hominibus informare studet; ejusmodi autem societas, reliquis, quae unquam in genere humano exstiterunt, societatibus optimis longe longeque excellentior et plane singularis non potest non habuisse auctorem excellentissimum et prorsus singularem, qualem Euangelia nobis describunt.

Miraculum te sumere multo majus, si statuis ab Apostolis fictum esse Jesum, quam si credas eum revera vixisse, ipse agnovit ROUSSEAU, *Emile*, Livre IV, p. 100, T. IX, ed. Operum Bipont. Ad id, quod de Ecclesia Christiana ab auctore excellentissimo unice derivanda diximus, conf. ULLMANN, libro paulo ante laudato. Quodsi ita, ut fecimus, fontes, unde cognoscatur Jesus Christus, agnoscantur fuisse omnes illi, qui de ejus vita cum in terris acta, tum in Ecclesia conspicua referunt, patet luculenter, non satis fecisse STRAUSSIUM, cum Euangelia sola esse relationes mythicas perhiberet et ostendere studeret; cum

debeat demonstrare, omnem, ad hunc usque diem, Ecclesiae Christianae historiam esse narrationem mythis constantem.

4. Ad commendandos fontes primarios saepe etiam de eo sermo est, quod ii sunt libri *canonici* et θεόπνευστοι. Scilicet aliquamdiu post Reformationem, ut externae auctoritati Ecclesiae Romano-Catholicae haberent externam quam opponerent auctoritatem aliam, Protestantes ei libros Socros opposuerunt, ut *canonicos*, id est Divinam fidei regulam continentes, quippe θεοπνεύστους, id est per spiritum sanctum auctoribus sacris dictatos, atque ideo infallibiles. Hinc igitur Lilienthal, Köppen, Hamelsveld aliique libros illos omnes, qui canonici habebantur, ut Divinos, et ea, quae in iis libris inveniuntur, omnino omnia, ut Divina, vindicare studuerunt. Atque sic libri illi N. F[is] non aestimabantur ut fontes, unde Jesus Christus cognoscatur, sed omne eorum argumentum ut Divinum, atque ideo in omnibus infallibile, commendabatur.

Haec vero sentiendi ratio et ipsis Reformatoribus primis et toti Ecclesiae anteriori atque antiquissimae fuit ignota. Antecedentibus temporibus *canon* erat catalogus librorum, qui, oppositi libris apocryphis sive seponendis, in Ecclesia praelegebantur, quippe qui habebantur fontes primarii, unde in Ecclesiae emolumentum esset hauriendum. Hic autem canon aliis in locis aliisque temporibus alius erat, universe autem in antiqua Ecclesia aeque Apostolicorum Patrum atque Apostolorum scripta continebat. Theopneustia porro in antiqua Ecclesia tribuebatur non tam libris, quam ipsis scriptoribus. Habebatur autem, Jesu Apostolorumque sententiae convenienter, scriptorum ea, Divinitus informata, animi directio, qua non amplius mundi spiritui pravo sese dabant, sed spiritu Christi sancto verique amante ducebantur. Atque ita theopneustia haec non modo Prophetis Apostolisque adscribebatur, sed aeque Apostolorum discipulis, imo Ecclesiae doctoribus omnibus praestantioribus, inprimis quando in concilia ad res Ecclesiasticas dirimendas erant congregati. Haec θεοπνευστία, sive hic

spiritus intus agens Divinus, in optimis etiam quibusque observabatur, atque non modo in scriptis, sed etiam in loquendo agendoque et in omni eorum vita. Et saeculis primis non habebatur hic spiritus ita sanctos viros agens, ut ipsi essent infallibiles; imo contra et errores et vitia in iis quoque fuisse agnoscebantur, residua e spiritu mundi, quo antea agebantur cujusque vis omnis subito prorsus vinci non potuerat. Postea demum, increscente Hierarchia, infallibilitas et ipsis sanctis Ecclesiae doctoribus et eorum scriptis est tributa.

In Jesu promisso Joh. 16: 13 attendendum est, dictionem εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν non significare *in omni veritate*, sed *ad veritatem totam* sive *universam* (*tot de geheele waarheid*, non vero *in alle waarheid*), quidque ὁδηγεῖν ibi significet, liquet ex Act. 8: 31. Atque hunc spiritum, suos ducturum, ut subjective intelligerent, quod objective in Christo cernebant, Jesus promisit discipulis suis germanis omnibus, coll. Joh. 7: 38 seq. Eundem spiritum veritatis sanctitatis Apostoli pariter tribuerunt omnibus veris Christianis, 1 Joh. 4: 6, 7, coll. c. 2: 20, 27. Atque eundem agnoverunt in semet ipsis sociisque suis deinde etiam primaevi Christiani. Ita CLEMENS Alexandrinus, *Stromatum* L. IV, p. 475: ἀλλὰ γὰρ, inquit, τὸ μὲν γε γράψεται, ἣν Θεὸς γε ἐθέλῃ καὶ ὅπως ἂν ἐμπνέῃ. Imprimis hoc sibi tribuebant Christiani in concilia congregati, jam inde ab eo tempore, de quo Act. 15: 28 sermo est, et deinceps. Sed hoc sibi adscribentes, et nominatim hoc Apostolis tribuentes posteriores doctores, qui interdum grandisona verba emiserunt de S. Scriptura, verbo Dei, scripto quasi per manum Dei: quo vero Dei verbo Justinus Mastyr adhuc solum intelligebat vetus Foedus: tamen primis temporibus nunquam sibi ideo infallibilitatem adscripserunt. Ita manifesto hanc sibi non adscripsit Paulus, vid. 1 Cor. 1: 14. coll. s. 16. Phil. 3: 12. coll. etiam s. 15; conf. etiam Jac. 3: 2. Atque sic GREGORIUS Nazianzenus etiamnum agnoscebat, vel in concilium congregatos viros sanctos vehementer errare posse; habet enim haec, *Epist.* 55: Ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ

τἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστὸν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐσχηκυίας, ἢ προσθήκην. Vide etiam AUGUSTINUM, *De Baptism. contra Donatistas*, II. 3. Conf. J. H. SCHOLTEN, *Jaarb. voor wetensch. Theologie*, II, 2, p. 293—313; inprimis S. COOLHAAS VAN DER WOUDE, *Kan uit Jezus dood, opstanding, het onderwijs na dien tijd door Hem aan de Apostelen gegeven, zijne hemelvaart, de buitengewone teekenen op den Pinksterdag, en het eigen nadenken der Apostelen over dit alles, in verband met hetgeen zij vroeger in Jezus hadden opgemerkt, de verandering en omkeering der Apostelen, van de Pinksterdag af in hen zigtbaar, genoegzaam worden verklaard? Of moeten wij hier nog eene meer onmiddellijke werking van God op hunnen geest aannemen?* in *Waarh. in Liefde*, 1841, III. *Iets over de geloofsgronden van Roomschen en Protestanten*, ibid. 1844, II. *Op welke gronden rust het gezag van de Apostelen onzes Heeren en van hunne Schriften? Hoedanig is dat gezag en hoever strekt het zich uit?* ibid. III. *Kan het worden bewezen, dat de Apostelen onfeilbaar waren? Zoo neen; op welke gronden steunt het, dat zij niet hebben gefeild in de opvatting des Christendoms?* ibid. 1848, III. Breviter, sed accurate rem tetigit E. REUSS, *Die Geschichte der Heiligen Schriften N. T., Halle* 1842, § 164.

Est ergo hac in causa redeundum ad communem antiquae Ecclesiae sententiam, quod post Richardum Simonem fecerunt Theologi sensim plures; ita ut canonicos dicamus illos libros, quia in antiqua Ecclesia praelegi solebant; et theopneustiam tribuamus iis praesertim scriptoribus, qui Christi spiritu imprimis fuere ducti. Qua in re hoc observandum est, antiquam Ecclesiam recto sensu ductam esse, cum, Eusebii tempore re explorata, ubique in Ecclesia legendos censuerit libros, etiamnum prae aliis dignos hoc honore habendos, ortos a primis Christianis, praecipue ab immediatis Jesu discipulis. Et vero si canonica Euangelia et epistolas Apostolicas cum

ipsis etiam Apostolicorum Patrum scriptis comparas, vides discrimen ingens, et sentis illos libros, qui N. F[is] codicem constituunt, dignos omnino esse, qui prae recentioribus scriptis commendarentur Ecclesiae propter ipsorum argumentum purius planeque Christianum. Et vero illi soli apti sunt, e quibus purissime Christus cognoscatur; quare et illos solos nominavimus fontes primarios, § 83, n. I.

Conf. de universa hac § omnino J. H. STUFFKEN, *Verh. over de kerkelijke Overlevering*, *Haarlem* 1840, item SCHUKKING, *Onderzoek in hoeverre de taal en zegswijze des Bijbels bijzonder geschikt gerekend mag worden ter mededeeling van Gods openbaring aan de menschen*, in *Waarh. in Liefde*, 1843, I; PAREAU, *Over de waarde en het regt gebruik van de Heilige Schriften des Ouden en des Nieuwen Testaments voor ons Christenen*, *volgens eenige Apostolische uitspraken*, ibid. 1843, III. WITKOP, *De bestendige waarde van het Evangelie van Christus voor zijne Gemeente*, ibid. 1846, III. De recto sensu Ecclesiae antiquae in deligendis libris canonicis egregie A. F. L. PELT, *Theologische Encyclopädie*, *Hamb. u. Gotha*, 1843, p. 90 dixit: „Diese Schriften hatten aber das Bestehen des christ„lichen Lebens, wie es durch Christum in die Welt „gekommen, und auf seine nächsten Schüler, na„mentlich die Apostel, von ihm fortgepflanzt oder „überliefert war, zum Inhalt. Vermittelst des Geis„tes, den der Herr nach seinem Hingange zum Va„ter seiner Gemeine hinterliess, wusste die junge „Kirche unter den vielfachen, aus verschiednem „Geiste hervorgegangenen Schriften diejenigen aus„zusuchen, in welchen sich das neue Leben in völlig „normaler Weise aussprach. Widerchristliches konnte „dabei nicht allgemein angenommen werden, vermöge „der christlichen διακρίσεις πνευμάτων (1 Kor. XII, „10), der αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διακρίσιν καλοῦ „τε καὶ κακοῦ (Hebr. V, 14); wohl aber kontten „hinsichtlich der Verfasser und Umstände der Ent„stehung irrige Annahmen dabei obwalten. Durch „das Gemeingefühl der Kirche, nicht durch kritische „und historische Untersuchungen ward im Gegen-

„satze zu ebjonitischen und gnostischen Sonderrich-„tungen (Häresen) der Kreis der Bücher bestimmt, „die als Glaubensstütze, später auch als Norm, „zuletzt als Glaubensquelle zu einem Ganzen ver-„bunden wurden, nachdem vorher Theile davon als „εὐαγγελικὸν und ἀπόστολος gesondert existirt haben „dürften."

C. Commendatio jesu christi.

§ 85.

Praestantia personae et operis Jesu Christi.

Ex illis fontibus, de quibus § 83, 84 egimus, si hauriatur cognitio Jesu Christi, apparet, eum talem fuisse, qualem in Dogmaticae Sect. I vidimus. Haec jam ejus persona et hoc ejus opus comparanda sunt cum praestantissimorum, qui unquam in genere humano fuerunt, personis operibusque, ut luculenter pateat, eum non modo his omnibus excellentiorem esse, sed et quam cogitari potest perfectissimum, atque ideo unum verissimae religionis sive summae salutis generi humano toti auctorem.

In Apologia populari sufficit provocare ad communem Christianorum germanorum experientiam, qua omnes Jesum Christum sentiunt esse unum sapientissimum, peccato liberum, sanctum et verae summaeque salutis sibi auctorem. In Apologetica hacce est opera danda, ut haec ipsa unica Jesu praestantia in clarissima luce ponatur.

Quodsi ergo Jesu personam et opus comparamus cum summis quibusdam antiquitatis viris, v. c. cum Confucio, Zoroastre, Mose, Pythagora, Socrate, eum his omnibus longe praestantioren facile cernimus. Confucius, vir moralis ipse, emendationem pro tempore populoque suo egregiam voluit in moribus vitaeque consuetudinibus. Zoroaster, poëtica phantasia et vitae civilis studio eminens, meliorem civitatis conditionem efficere studuit, quae Dei boni, Ormuzd, consiliis efficiendis inserviret. Moses, religiosus et in aula regia institutus, civitatem condidit theocraticam, uni vero Deo dicatam. Pytha-

goras, philosophus religiosus, non modo docendo, sed imprimis sodalitio instituendo amicitiam sanctam, Diis et civitati dicatam, volebat. Socrates, philosophus toto animo moralis, sui cognitione hominem ad probitatem intimam et virtutem quoque externam, civitatis, uti universa fere volebat antiquitas, commodo salutique inservientem, instituere sibi proponebat; et eum in finem utebatur methodo eximia, qua ipsorum juvenum ingenia excitare et dirigere studebat consuescendo cum iis et eliciendo colendoque, quae animo inerant, boni semina, tum vero etiam eos secum, ut cum amico, et inter se mutuo amore conjungendo.

Imo, si vel in his, qui exstiterunt, viris non subsistamus, sed etiam ad perfectas species attendamus, quas sibi antiquitas vel fabulis fingendis, vel philosophando, vel alia quavis ratione proposuit: Jesum videmus ipsis etiam ideis hisce esse re factoque longe excellentiorem. Apud Indos incarnationes Deorum inserviebant, non ut homines ad divinitatem erigerentur, sed ut Dii humanis deliciis vitiisque fruerentur. Osiris ab Aegyptiis pingebatur, uti qui solis vicissitudinem agriculturamque, hominibus maxime salutarem, docuerat. Hercules et Theseus a Graecis imprimis ficti sunt, ut qui homines a monstris latronibusque liberaverant. Apud Hebraeos Prophetae vel Prophetam aliquem, legis Divinae statorem, vel imprimis Regem (Messiam) perfectum proposuerunt et semper exspectarunt futurum, sapientissimum et potentissimum, qui omnes homines, ut Israëliticae genti insertos, ad veram Theocratiam esset ducturus. Philosophi Graeci Romanique Philosophum vel Sapientem perfectum finxerunt; aut etiam a Philosopho Sapientive tali condendam regundamque rempublicam, institutione, ab ipso recta, et civium inter se amore, bonorumque, imprimis etiam externorum, communione perfectam futuram. Porro ubivis etiam suspicio, licet nusquam perfecta idea erat θεανθρώπου. Sic apud Indos fictio Dei corpus humanum induentis, sed in tempus modo breve et specie potius quam revera. Apud Graecos erant homines, in Deorum numerum relati, sed ita ut

homines essent manerentque, quin et qui Dii dicebantur, nil erant nisi homines potentiores. Utrique speciei deest notio sanctitatis. Apud Hebraeos erat notio hominum a Deo illustratorum, qui, quippe Dei vicem gerentes, *Dei filii* vel etiam *Dii* dicebantur, sed erant manebantque homines. Conf. JUSTINUS MARTYR, *Colloq. cum Tryph.* c. 48.

Cum his omnibus si Jesum comparamus, videmus eum non modo in historia occurrentes personas, sed etiam in antiquitate mente propositas ideas superasse. Ipse, quaecunque in iis eximia et vere bona erant, in semet gerebat, eaque conjuncta; quae autem in iis inerant aut vitiosa, aut minus bona, aut partialia, haec in Jesu non inveniuntur. Scilicet erat ille sine peccato perfectus viribusque omnibus excellentissimis eminens homo, imo ita Dei Filius, ut Dei referret expressam his in terris imaginem. Itaque toto animo religiosus et prae religione moralis cum esset, Dei amore ductus est, ut homines omnes infinite amaret, et societatem religioso-moralem conderet in gente humana, omnes omnium generum homines complexuram, et ad summam perfectionem Deique similitudinem eos adducturam. Ad quod tam sublime infinitumque consilium assequendum sola utendum censuit veritatis patefactione amorisque demonstratione, utpote quibus et ingenia hominum excolerentur et animi moverentur optime efficacissimeque.

Altius etiam escendere possumus et Jesum Christum comparare quoque cum Christianis, qui ex ipso suam hauserunt praestantiam, optimis quibusdam. Ita Paulus ingenii sublimitate et animi ardore Jesum referens, Ecclesiam inter Gentiles condidit. Origenes, Adamantinus, sui abnegatione et labore indefesso eruditissimus sui aevi exstitit doctor. Chrysostomus in aula corrupta et urbe luxuriosa Euangelii sanctitatem vindicavit, orator eximius. Gregorius I, pietate sincera Ecclesiae princeps eximius, Ecclesiasticum imperium stabilire studuit. Mohammedes, qui et ipse optima, quibus gavisus est, ex Jesu hausisse dicendus est, phantasia et religiositate sua adductus, inter Arabes Ecclesiam condere voluit melio-

rem, quam suo tempore Christianam existimabat esse, atque ita regnum religioso-civile condidit, vitiis non paucis, sed imprimis virtutibus suae nationis conspicuum. Bernardus Clarovallensis pietate intima monachorum praestantissimus exstitit, et abnegatione sui exemplum oraculumque sui aevi evasit. Lutherus, fide inconcussa, temporis sui perversitati se opposuit, ut, Ecclesiae impurae, et ad civilem rationem operumque unice externorum existimationem degeneratae, loco, novam puriorem Christoque vere dicatam Ecclesiam conderet. Oberlinius ardenti hominum amore ductus, regionem desertam et sterilem in terram cultam et fertilem, hominesque feros in Christianos Dei hominumque amantes convertit. Wilberforcius, intima pietate et religioso sui imperio, generis humani depressi causam universe egit, servorumque exstitit liberator.

Hi autem omnes, quamvis Jesum Christum secuti sint suo quisque modo egregie, multum tamen abfuerunt, ut illum omnino aequaverint. Quare et nemo eorum unquam de se aut opere suo dicere voluit, quod, licet a superbia longissime remotus, Jesus dixit: *Τίς ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας;* et: *Πάτερ, τὸ ἔργον ἐτελείωσα, ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω*, Joh. 8: 46, c. 17: 4.

Quid, quod ne Christiani quidem aut poëtae, aut philosophi, vel cognito ex historia Jesu Christo, speciem perfectam delineare potuerunt aut hominis aut operis cujusdam humani tam egregiam, quam Jesu persona et opus re factoque exstant. Et optimi quique atque sapientissimi nunquam sibi satisfacere possunt in ipsius Jesu Christi charactere et negotio satis lucide describendo. — Quae omnia sane demonstrant luculentissime, Jesum Christum in toto genere humano vere esse unicum, et supra quam cogitari potest, perfectissimum.

Conf. ULLMANN, *Sündlosigkeit Jesu*, REINHARD, *Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christlichen Religion entwarf*, RAU, *Oratio de Jesu Christi ingenio et indole perfectissimis, per comparationem cum ingenio et indole Pauli Apostoli illustratis.* NIEMEIJER, acutus hominum observator, in *Characteristik der*

Bibel, propter ipsam incomparabilem praestantiam, Jesu Christi characterem delineare non sustinuit.

Jam vero ex hisce luculentissime sane conspicitur, quam vere Christiani germani omnes sentiant, salutis summae omnis unum auctorem sibi esse Jesum Christum. Hicce et est summae salutis in genere humano auctor, coll. § 67, et unus esse potest, § 37.

PARTIS POSTERIORIS

SIVE

APOLOGETICES

SECTIO II.

COMMENDATIO ECCLESIAE CHRISTIANAE.

A. Praeparatio.

§ 86.

Ecclesiae commendatio undenam haurienda sit.

Ecclesiae commendatio haurienda est ex ipsius per saeculorum decursum historia et praesenti conditione, atque ex facta comparatione cum similibus in genere humano institutis optimis. De fontibus igitur etiam, ex quibus hanc in rem hauriendum est, erit videndum.

§ 87.

Quomodo Ecclesiae commendatio inde hactenus hausta sit.

1. Jesus Apostolorum *sodalitium conjunxit, e quo Ecclesia*, ut e semine, nasceretur. Hanc primum appellavit semper regnum Divinum, sensim vero magis proposuit ut unionem suorum, tanquam fratrum inter se atque cum ipso, et tanquam filiorum cum patre Deo conjunctorum.

2. Apostoli, quam secum invicem et cum reliquis Christianis habebant, conjunctionem proposuerunt atque commendarunt omnibus ut *familiam sanctam*, cujus pater Deus est, in qua primogenitus filius Jesus Christus, et reliqui sunt fratres inter se aequales. Hanc dicebant corpus unum, regnum divinum, i. e. societatem coeles-

tem, antiqua Theocratia Israëlitica longe superiorem, licet per hanc praeparatam. — Hujus autem corporis principatum ponebant in capite Jesu Christo, e quo igitur, tanquam fonte, corporis totius natura erat cognoscenda.

3. Dum Ebionitae in Ecclesia anxie conjungenda eademque cum Judaismo commiscenda omnem ponebant rei Christianae gloriam, illamque huic, tanquam alteram alteri contrariam, prorsus opponebant Gnostici, mediâ viâ incessit Ecclesia Catholica, rem Christianam et Judaicam apte inter se jungens. Quod agentes Graeci Ecclesiam Christianam sibi proposuerunt, ut *scholam philosopham* praestantissimam, eamque non in varias sectas dividendam, sed ad unitatem redigendam inquirendo et dogmata definiendo. Hanc ergo per antiquos philosophos praeparatam quidem existimabant, sed eorum scholis longe excellentiorem. Cum philosophiae studium sensim evanesceret, Graecis magis magisque evasit Ecclesia, quod hodieque iis est, schola ascetica. — Fons autem, unde Ecclesia iis cognoscenda et commendanda videbatur, erat primum scriptura V. Foederis, deinde etiam N. Foederis, tandem ipsius Ecclesiae, Conciliis repraesentatae, auctoritas.

4. Romani eandem habuerunt *civitatem Dei*, quae se extendere per terrarum orbem debebat et pacare gentes iisdemque legibus subjicere. Pontifex maximus erat civitatis illius Imperator. Clericorum (quasi Patriciorum) et Laicorum (quasi Plebejorum) sensim magis exstitit discrimen, usque adeo, ut tandem soli Clerici, imprimis Episcopi, Ecclesiam ipsam efficere censerentur, in qua modo erant Laici. Terrenam ergo et pristinam cogitandi rationem Romani in multis tenuerunt, eam vero specie commendarunt Divinae auctoritatis, ad antiquam provocando Theocratiam Israëliticam. — Fons vero, unde haec Ecclesia cognosceretur et commendaretur, ipsis erat maxime Episcoporum dignitas, quippe a Deo constituta, quae Ecclesiam regeret et unde identidem denuo Ecclesia nasceretur.

Conferantur v. c. argumenta, quibus Ecclesiam Germanis a Bonifacio commendari voluit Episcopus DA-

NIEL, in Epistola ad Bonifacium data, quae exstat in *Epist. Bonif.* 67.

5. Germani, libertatis studio ducti, diu restiterunt Ecclesiae Christianae imperio. Cumque tandem, a Carolo Magno imprimis, cogerentur ei se subjicere, deinde idem *libertatis studium* se prodidit Reformationis tempore in eo, quod inquirerent libere, num Ecclesiae illi revera esset Divina auctoritas. Quo factum, ut Clericorum et Laicorum discrimen denuo tolleretur, sed et ut Ecclesiastici imperii forma a Protestantibus ita destrueretur, ut simul ipsa Ecclesiae, ut societatis, notio atque vis paene periret.

Graeci, Romani, Germani quid in Ecclesia maxime spectarent, ipso enuntiarunt epitheto, quo eam fere ornarunt, *orthodoxae*, *catholicae*, *euangelicae*.

Quum praecedentibus aevis identidem commendaretur Ecclesia, prouti erat iis ipsis temporibus, Protestantes primum, deinde etiam Romano-Catholici in fontes historiae Ecclesiasticae inquisiverunt, ut qualis Ecclesia anterioribus temporibus fuisset, exponeretur. Atque ita non modo praesentis temporis, sed etiam anteriorum saeculorum Ecclesia Christiana est commendata, utpote excellentior omnibus, quae ante Christum fuerant.

§ 88.

Quomodo Ecclesiae commendatio nunc inde sit haurienda.

1. Fontes spectandi sunt, non quatenus antiqua quaedam iis enarrantur, sed eatenus tantummodo, quatenus Ecclesia ipsa ex iis cognosci potest. Conf § 79.

2. Ecclesia spectanda est, non ab una aliqua parte, v. c. aut sola antiquior, aut praesens sola, aut sola ejus imperfectio, aut sola individuorum ratio, aut sola vis socialis; sed ab omnibus est spectanda partibus.

3. Imprimis tenendum est, historico-philosopham esse hanc disquisitionem; atque ideo Ecclesiae praestantiam non simpliciter philosophice nunc esse dijudicandam ex idea ipsius perfecta, sed esse eam comparandam cum historia temporum ante Christum antecedentium

aut gentium extra eam viventium; idque, ut pateat, *et* necessitas societatis Ecclesiasticae qua satisfiat indigentiis humanis, *et* conjunctio Ecclesiae cum rebus humanis antecedentibus, ex quibus multa remanserunt in ea, quae ex ipso Jesu Christo non sunt repetenda, *et* discrimen Ecclesiae institutorumque similium, praecipue antecedentium, prae quibus illa longe eminet, *et* conjunctio Ecclesiae hujus Divinitus institutae cum rebus, quas Dei providentia antea instituit, quibusque illam praeparavit, *et* hujus Ecclesiae sensim progrediens perfectio, qua magis magisque Dei Christique consiliis satisfacit.

4. Ordo optimus esse videtur, ut paucis de fontibus praemonitis, de hac ipsa Ecclesiae praestantia videamus, ita ut seriem eorum, quae modo enumeravimus, sequamus.

B. Fontium commendatio.

§ 89.

De fontibus.

Nunc pauca tantummodo addenda sunt iis, quae de fontibus diximus § 83, 84. Qui ibi laudati sunt fontes, omnino omnes hoc loco sunt fontes primarii habendi, utpote e quibus cunctis conditio Ecclesiae variorum temporum, inde ab initio ad hunc usque diem cognoscitur. Secundarii fontes nunc nobis sunt ii, ex quibus instituta, quae anterioribus ante Christum temporibus ut et posterioribus aevis in gentibus extra Ecclesiam viventibus exstiterunt, similia cognoscuntur. Haec enim reliqua generis humani historia uti antea jam a nobis in subsidium vocata est § 85, ita nunc imprimis est adhibenda, coll. § 87, n. 3. — De primariis illis fontibus non opus est ut nunc denuo agamus, satis de iis actum est l. l.; de secundariis igitur solis nunc agendum est.

Jam vero inter hos fontes nulli ad rem nostram tantum habent pretium, quantum libri Sacri Israëlitarum, sive libri V. F^{is}, utpote e quibus cognoscatur maxime directa praeparatio rerum Christianarum.

Probata autem integritate, authentia et fide historica N. F^{is}, universe jam constat, Jesu et Apostolorum tem-

pore illos libros agnitos fuisse in Ecclesia Judaica ut integros, authenticos et fide dignos. Similibus etiam argumentis haec de V. F[e] ulterius probantur, atque de Novo. Ita, verbi gratia, integritas illorum librorum non modo liquet ex manuscriptorum Hebraicorum inter se convenientia, sed etiam ex convenientia horum cum antiquissima Versione Alexandrina et Pentateucho Samaritana. Authentia plerorumque librorum liquet ex interna indole eorum, convenienti cum externo Ecclesiae Judaicae de eorum auctoribus aut temporibus, quibus exstiterunt, testimonio. Fides historica conspicitur imprimis ex rebus, in facto positis, etiam nunc exstantibus, praesertim ex superstite adhuc natione Judaica; tum ex monumentis etiamnum superstitibus, v. c. ex aedificiis Aegyptiacis, quae nostra aetate Francogalli in Aegypto quasi denuo invenerunt, et arcu Titi triumphali; tum etiam e testimoniis extra Ecclesiam Judaicam datis, prouti scriptorum antiquorum Graecorum et Romanorum.

Multa, verbi causa, quae monumentorum in Pentateucho servatorum, fidem historicam et originem Mosaicam probent, ex Aegyptiacis monumentis attulit E. W. HENGSTENBERG, *Die Bücher Mose's und Aegypten*, *Berlin*, 1841. De creatione et primis Geneseos historiis conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Voorlez. over de geschiedenis der opvoeding des menschdoms door God*, D. I, *Voorl.* VI.

Reliquos fontes, ad pristinam aeque atque recentiorem gentium, extra Ecclesiam Christianam viventium, historiam pertinentes, adesse satis aptos, agnoscunt idonei rei hujus judices, historici optimi quique.

C. Commendatio ecclesiae christianae.

§ 90.

Praestantia Ecclesiae Christianae.

Instituti, a Christo profecti, magna jam praestantia in eo posita est, quod est veri nominis societas. Namque, ipsa docente historia, parum fere effecerunt sola sive monita, sive leges, sive doctrinae systemata, et

summi quique atque optime de hominum genere meriti viri semper vel familiarum, vel civitatum, vel sodalitiorum conjunctionem et quamcunque societatem condendam censuerunt, qua aequalibus suis posterisque prodessent.

Conf. *Instit. Christ. mor.* § XXXVII, 12.

Quae autem maxime egregiae in genere humano, ante Christum aut sine ejus cognitione vivente, exstiterunt societates, sunt familiarum, civitatum et scholarum philosopharum. Familiis jam quodammodo conjunguntur homines. Viguerunt ejusmodi familiae conjunctiones imprimis in Oriente; in iisque eminet familia Abrahami, uni vero Deo consecrata. — Magis conjunguntur homines civitatibus. Hae sunt vel magis patriarchales civitates, ab uno principe pendentes, quod imprimis apud Sinenses etiamnum cernitur, quarumque nonnullae sunt sacrae, veluti quam Zoroaster inter Medos et Persas, imprimis autem quam inter Israëlitas Moses condidit, uni vero Deo consecratam eamque per Prophetarum vim ex ipsius instituto sensim progredientem; vel civitates sunt magis fraternae, quod in rebuspublicis Graecis praesertim conspicitur, quarum vis praecipua posita erat in communi patriae amore. Omnium praestantissima civitas antiquitus fuit Romana, cum interna legum justitia et humanitate majori, tum vi gentes diversissimas ad unum aliquod imperium conjungendi. — Scholae philosophae optimae hoc habuerunt proprium, quod in minori ambitu internam et moralem praestantiam fovebant majorem, per veri ex ipsa natura humana petitam disquisitionem. Plato imprimis et qui eum secuti sunt complures ita philosophiam cum civitatis causa conjunxerunt, ut fingerent civitatem aliquam perfectam, civium amore florentem et Philosophi aut Sapientis perfecti institutione beatam.

In harum autem societatum multis hoc perversum erat, quod singulorum libertati jus suum non competebat; multis item hoc, quod in legalibus operibus subsistebatur, neglectis boni sanctique principiis; in aliis hoc, quod veri disquisitioni atque vitae speculativae

nimium tribuebatur pretium, neglecta vera hominum cum Deo et inter se conjunctione practica. Pleraeque eo etiam laborabant vitio, quod se tam perfectas haberent, quam suae saltem genti esse societas quaedam posset, unde se stabiles et certas reddebant, neque emendationi et progressioni ad perfectionem majorem dabant locum. In omnibus imperfectum cernitur hoc, quod neque gentes spectabantur omnes, neque in gente aliqua omnia hominum genera satis respiciebantur, neque in hominibus, qui spectabantur, facultates omnes rite excolebantur. Cunctae etiam habent directionem communem terrenam, acsi vitae huic in terris agendae soli destinatus esset homo: ita in ipsa adeo perfecta Platonis republica virtus summa est justitia civilis.

Conf. omnino THOLUCK, *Das Wesen und die sittlichen Einflüsse des Heidenthums*, in NEANDER, *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums*, T. I; et HOFSTEDE DE GROOT, *Voorlez. over de geschied. der opvoeding*, D. II, Voorl. XVII.

Cum his si jam comparemus Ecclesiam Christianam, hanc videmus esse praestantissimam, ipsis adeo coelicolis sapientiae Divinae documentum, Eph. 3: 10.

In Ecclesia hac manserunt quidem superstitia multa eorum, quae antiquitus in genere humano erant vitiosa. Sic libertati singulorum nocuit discrimen Laicos inter et Clericos, ex antiqua Theocratia residuum. Legalitas ex civilibus societatibus superstes mansit, effecitque, ut saepe bonorum operum merita celebrarentur. Disquisitionis philosophae nimia sive potius perversa existimatio non raro denuo apparuit in litibus Ecclesiasticis et vita speculativa sive ascetica. Ipsa etiam directio illa mundi antiqui terrena denuo se ostendit in eo, quod Ecclesia Christiana interdum paene redacta sit ad civilis formam imperii, dominando et per vim etiam causam suam vindicando conspicui. — Neque haec miranda sunt. Namque Euangelio genus humanum non potuit quasi uno ictu penitus ita converti, ut nulla pristinae vitae vestigia remanerent.

Romano-Catholici imprimis Ecclesiam (repraesentantem) dicunt *matrem*, sine qua nemo perveniat ad Deum *patrem*. Qua imagine non inepte vis Ecclesiae describi potest, dummodo ea recte utamur. Nempe mater sapiens instituit filium, ut tandem, sine matris auctoritate, sibi constare et ipse vitam propriam vivere possit; neque rite filium amat ea mater, quae vult ut ille semper, quasi minorennis, ab ipsa pendeat.

Vel sic tamen Ecclesia Christiana prae illis institutis reliquis semper longe praecelluit. Etenim ab initio inde ad hunc usque diem illa et gentes spectavit omnes, et in iis genera hominum omnia, et in his hominibus facultates certe quam plurimas excolere voluit, et eam hominum inter se et cum Deo conjunctionem voluit efficere, qua fieret vita his in terris praeparatio et initium vitae post mortem imprimis futurae melioris.

Et vero inde a Jesu Christi tempore societatem hujusmodi praestantissimam exsistere potuisse, mirandum non est, cum nobis, anteriorem historiam contemplantibus, pateat, praecedentes illas societates institutaque in genere humano optima et vero omnia gentium fata inserviisse ad genus humanum huic Ecclesiae praeparandum. Ea enim cernitur inter gentes societatis, virtutis, religionis progressio, ut Christi tempore certe aliqua generis humani pars esset idonea, quae hujus Ecclesiae moralis et religiosae particeps fieret. Itaque Ecclesiae hujus Christianae haec etiam est praestantia, quod est omnium maxime eximium institutum providentiae Divinae, quo genus humanum non modo ad aliquam, sed ad summam suam excellentiam evehere vult.

Et haec Ecclesia non eodem, quo fuit, statu remanet, sed ipsa progreditur et sensim majorem attingit perfectionem, ut vel exinde spes oriatur, eam ulterius etiam sensim esse progressuram. Cernitur hoc in eo, quod vitia illa superstitia sensim agnoscuntur atque tolluntur, et excellentia illa magis magisque aestimatur atque exercetur. Ita jam apud multos sublatum est illud Laicorum et Clericorum discrimen. Legalitatis etiam et operum bonorum loco a multis interna pietas, fides et amor

aestimantur. Vita speculativa et ascetica universe ut vitiosa agnoscitur a plurimis. Magis autem magisque ad gentes omnes Euangelium perducitur, et in his etiam ad homines infimae aut perversissimae conditionis. Quapropter vel ideo sperandum, fore ut etiam lites altercationesque magis magisque sint periturae, et ut Euangelii vi omnes omnium hominum facultates harmonice magis sensim excolantur; quo fiat haecce societas spiritualis his in terris per Jesum Christum pars genuina societatis divinae, terram coelumque comprehendentis.

Progredi ac se ulterius excolere etiam poterat Theocratia Mosaica, imprimis ob jus Prophetarum, Deuter. 18. constitutum; neque tamen tam sponte ac facile progredi poterat, quam Ecclesia Christiana. Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Over de bijzondere eigenaardigheid der Christ. Kerk, dat zij zich gedurig uit den eenen toestand in den anderen ontwikkelt*, in *Waarh. in Liefde*, 1838, I.

PARTIS POSTERIORIS

SIVE

APOLOGETICES

SECTIO III.

COMMENDATIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.

A. Praeparatio.

§ 91.

Commendatio religionis Christianae undenam haurienda sit.

Jam, coll. § 78, restat exponenda praestantia indolis religionis Christianae, qualis non modo jam adest, sed et esse potest et magis magisque fieri debet. Nunc igitur non tam historice disquirendum est, qualis ea sit fueritve in nonnullis aut etiam in multis, sed qualis ex Dei consilio per Jesum Christum et est et esse debet. Hujus igitur praestantia cognosci aliunde nequit, nisi ex ipsa Dei per Christum patefactione et institutione eam informante. Uti ergo Sect. I et II ex historicis fontibus repetenda erat praestantia ipsius Jesu Christi et Ecclesiae Christianae; ita nunc ex ipsa, quae Jesu Christo et Ecclesia Christiana continetur, Dei patefactione atque institutione, tanquam fonte, petenda est cognitio religionis Christianae, qualis a Deo informatur in hominibus.

§ 92.

Quomodo commendatio religionis Christianae hactenus inde hausta sit.

1. Jesus verbis et sua ipsius *vita tota* religionem commendavit, ut indigentiae humanae omni *satisfacientem*, *hominesque ducentem ad perfectionem*, *Dei patris perfectioni similem*, atque ita ad intimam cum Deo et inter sese conjunctionem.

2. Apostoli religionem Christianam commendarunt ut *hominum cum Deo et inter se conjunctionem summam*, *per absolutissimam patris Dei institutionem.* Hoc ut senserunt omnes, ita unus exposuit Paulus sic, ut ejus excellentiam, praesertim prae Veteri Foedere legali, exponeret. Hic igitur experientia excitatus, et dialectico ingenii acumine aptus, patefactionem institutionemque Christianam historico-philosopha ratione indicavit praestantissimam.

3. Ecclesia Judaeo-Christiana religionem Christianam spectavit, ut *conjunctionem legalem*, *per legem Divinam*, *legibus anterioribus omnibus perfectiorem.* Quum enim consuevissent, Theocratiam antiquam maximi facere, vix poterant institutionem Christianam aliter laudare, quam ut novam excellentissimamque Theocratiam.

4. Graeca Ecclesia religionem Christianam habuit et commendavit, ut *philosophiam sive γνῶσιν summam*, ipsa Platonica puriorem et sublimiorem. Haec ergo maxime religionis hujus cum dogmata tum omnem praestantiam philosophice indagavit.

5. Ecclesia Latina eam habuit laudavitque, ut *conditionem optimam hominum in civitate Dei viventium*, *Ecclesiae disciplinâ efficiendam et in universo genere humano propagandam.* Apud Latinos ergo hosce, ad agendum, quam ad philosophandum, aptiores, jacuit fere philosophica de religione disquisitio, quamvis ea apud Augustinum, de Civitate Dei disquirentem, quodammodo appareat.

6. Inter Germanos, cum Scholasticos et Mysticos, tum imprimis Euangelicos, item apud Jansenistas, habita et celebrata est haec religio maxime tanquam *singulorum*

hominum cum Deo conjunctio, ipsos ad animi quietem et sanctitatem ducens. Nec tamen defuerunt qui minus in liberatione a peccato, quam in liberatione a peccati sequelis religionis hujus praestantiam ponerent summam. Initia *philosophae de patefactione et institutione Christiana disquisitionis* apud Scotum Erigenam aliosque Scholasticos jam habentur. Ab his ad meliora progredi conati sunt Wesselus Gansfortius et dein Reformatores; sed ad ea initia redierunt fere in multis Theologi posteriores ad Schleiermacherum usque plerique.

§ 93.

Commendatio religionis Christianae quomodo nunc inde sit haurienda.

1. Non est haec religio Divina ad humanas opiniones, ex pristinis aevis residuas, deprimenda, ut habeatur conjunctio sive legalis, sive philosopha, sive civilis; sed vera ejus et unica praestantia est contemplanda.

2. Non est respicienda, qualem eam susceperunt aut etiam deformarunt homines, sed qualem eam informare vult ipse Deus, puram et perfectam.

3. Respicienda est non modo ut verus purusque Dei cultus, sed ut conjunctio hominum cum Deo et secum invicem perfectissima, vitamque humanam omnem perficiens; ad quam antecedentia instituta Divina omnia praeparare genus humanum debuerunt, quamque efficere ex Dei consilio debet institutio Christiana prorsus absoluta.

4. Non tantum haec religio spectanda est ab una aliqua parte, vel ut singulorum modo religio, vel tantummodo ut societatis conjunctae, vel ita ut ejus praxis sola spectetur, vel sola philosopha contemplatio. Sed omnia harmonice conjuncta sunt respicienda, eaque ut et indigentiis hominis generisque humani satisfacientia, et divinae ejus destinationi plene congruentia.

5. Ordo optimus videtur esse hic, ut primum de hujus religionis fonte agamus, id est, de ipsa Divina per Christum patefactione et institutione, tum de ipsius religionis praestantia, et quidem de vita Christianorum singulorum spirituali, de eorundem conjunctorum vita

Ecclesiastica, et denique de illius patefactionis institutionisque atque hujus religionis philosopha ex vero aestimatione.

B. Fontis commendatio.

§ 94.

Praestantia fontis, unde religio Christiana fluit, sive praestantia Divinae patefactionis et institutionis per Jesum Christum et Ecclesiam Christianam.

Patefactionem institutionemque Christianam esse praestantissimam vel ex eo ipso jam liquet, quod Jesu Christi persona longe est perfectissima et prorsus absoluta, et quod Ecclesia Christiana institutis reliquis similibus, homines informantibus, longe est excellentior; quare et ille unus perfectus est Divinusque plane hominum omnium Conservator, et per hanc solam genus humanum ad excellentissimam divinamque adducitur communionem, coll. Sect. I et II.

Itaque in Christo et Ecclesia Christiana patefit, uti alibi nusquam, et Deus, et homo, et hominis cum Deo conjunctio. Cumque ea patefactio non in Christo tantum his in terris vivente, sed etiam in ipsius Ecclesia adsit, ipse hic fons fit perpetuo uberior. Conf. supra, Dogmat. § 31—37, 57—61, 66—70. Item vis movens et incitans ad probitatem summamque cum Deo similitudinem infinita adest in Dei Christique gratuito summoque amore et in fratrum inter sese caritate. Est denique Ecclesia, quo magis Dei Christique consilio respondet, eo magis optimum institutum, per quod sensim instituantur, perficiantur et conjungantur cum Deo, Christo et secum invicem homines omnino omnes.

Conf. de posterioribus hisce L. G. PAREAU, *Initia Institutionis Christianae moralis* § XX, XXI.

C. Commendatio religionis christianae.

§ 95.

Praestantia vitae spiritualis Christianae.

Vitae Christianae in singulis hominibus praestantia,

coll. § 68, 69, his imprimis cernitur. Est vita plena lucis, quietis et puritatis, eaque talis, quali indiget homo genusque humanum, per peccatum in tenebris irrequiete et impure vivens, coll. § 60, 61, et quali naturae humanae desideriis satisfit, § 58. Imo satisfit eâ etiam summae divinaeque hominis gentisque humanae destinationi, coll. § 59. Est enim in ea explicatio virium facultatumque humanarum omnium, eaque harmonica; nam nihil in homine intactum relinquit, omnia excolit et perficit vere humana, idque ita, ut per unam cum Deo communionem omnia inter se apte conspirent. Haec vita in singulis est ab aliorum auctoritate libera, atque in ipsis vita vere propria (*zelfstandigheid*); incipit adeo jam, non a coeca obedientia, sed a *fide*, id est ab animo libere se tradente et confidente Servatori Patrique coelesti, quia ipse homo sentit et, quo magis excolitur, eo magis cernit et intelligit, Servatorem et Patrem unice mereri, ut iis se prorsus concredat. Eadem tendit ad summum, quo unquam tendere homo potest, ad perfectiorem sensim cum ipso perfectissimo beatoque Deo similitudinem. Denique vita haec, uti propriam suam in animo sedem habet, ita exinde vim exercet in omnes facultatum omnium actiones, ut scientiam omnem, omnes artes, ipsam vitam socialem omnem purget et perficiat. — Haec omnia uti jam in nonnullis Christianis cernuntur quodammodo, coll. § 85; ita multo magis cerni possent, si omnes melius Christiana patefactione et institutione uterentur, eoque ipso magis referrent imaginem Jesu Christi, in quo ea perfecte cernis.

Conf. L. G. PAREAU, *Oratio de Christ. religionis vi in doctrinis disciplinisque humanis*, *Gron.* 1844.

§ 96.

Praestantia vitae Christianae Ecclesiasticae.

Hanc vitam spiritualem Deus per Christum non voluit modo in singulis vigentem, sed etiam in conjunctis, ut una aliqua sit sancta et universalis Ecclesia hominum cum Christo, Deo et, hoc ipso, secum invicem conjunctorum, Joh. 17. Et vero homo est natura socialis, cum

dependens, tum ad amorem facta. Fieri ergo non potest, qualis fieri debet, nisi in societate et per hancce. Igitur et naturae humanae, § 58, et generis humani, per peccatum distracti atque dissociati, conditioni, § 60, satisfacit societas Christiana. Imo destinationi hominum divinae, ad summam excellentissimamque communionem tendenti, § 59, penitus respondet Ecclesia Christiana. Neque enim sufficit societas familiae aut civitatis, sed maxime universalis esse debet cum Deo et cum hominibus communio.

Conf. *Inst. Theol. nat.* § XXXVII.

Neque vero aliter per ipsam naturam humanam fieri potest, quin per vitam illam spiritualem ejusmodi societas oriatur et perficiatur. Homo enim, natura socialis, neque se ipse solus excolere, neque egregia quaeque in semet ipso includere, neque segregatum sentire se beatum potest; vita autem spiritualis illa tota quanta est amoris vita atque ideo conjunctionem sponte efficit. Conf. § 67, p. 158 seq.

Per hanc autem vitam Ecclesiasticam, quae ita naturae humanae ipsa est prorsus consentanea, oriuntur etiam optima quaeque. Per hanc fit, ut infantes non modo vita familiari, neque adulti modo vita civili fruantur; sed infantes puerique institutione Christiana domestica informentur ad consuetudinem Christianam et Christi Deique amorem. Adolescentes per communem etiam institutionem Ecclesiasticam eriguntur ad vitae Christianae cum amorem majorem tum etiam intelligentiam. Adulti per cultum imprimis sacrum communem magis magisque ad communionem cum Christo Deoque et secum invicem cum alendam tum et intelligendam, atque ita cum clara conscientia fovendam, adducuntur. Atque sic, magis magisque, per Ecclesiam informati, Christiani sese quoque invicem conjungunt societatibus variis, vitam Christianam etiam communicantibus cum aliis, ut pueris, pauperibus, neglectis adultis, scelestis, ipsis in toto terrarum orbe hominibus omnibus. — Sic ergo Deus Christusque ipsi in hac Ecclesia vivunt, et cum Christianos

ipsos vitae divinae participes reddunt, tum per eos perficiunt, conjungunt, beant genus humanum universum.

§ 97.

Praestantia rei Christianae philosophice aestimandae.

Totius quoque rei Christianae ex vero aestimationem Deus ipse per Christum vult, coll. § 18. Et vero haec quoque ad veram summamque hominis et generis humani perfectionem salutemque omnino requiritur. Homo enim, quando excolitur sensim magis, quiescere nequit, nisi id, quod ei gravissimum est, ratione etiam sua ipse perspiciat magis magisque, coll. § 1.

Fidem inter et scientiam si pugnam statuis, res turbatur. Non pugnat cum fide, i. e. cum animo sese Deo confidente, scientia sive conamen perpetuum religionem verissimam clare etiam intelligendi; nam *fide ad intellectum* proceditur, § 23.

Ejusmodi quid Gentilium religionibus defuit, apud quos philosophi, si id agerent, contra ipsarum indolem agebant, utpote infantilem neque id naturâ suâ ferentem. Idem illud Hebraeis non nisi admodum imperfecte adfuit, quippe quorum religio etiamnum puerilis erat et in perfectiorem aliquando resolvenda. Uni id plane proprium est religioni Christianae quippe adultis Dei filiis aptae et perfectissimae.

Jam vero hac in re etiam summa aliqua ejus praestantia sita est. Quod ut ex modo dictis jam liquet, ita etiam ex egregiis hujus rei sequelis conspicitur. Sic enim oriri debuit et orta est singulorum temporum, gentium, familiarum Christianarum Dogmatica, singulorum indigentiis respondens, atque ideo et varia admodum, et magis magisque omnem rei Christianae praestantiam in luce ponens. Et vero Codicem Sacrum, imprimis Novi Foederis, et monumenta quoque Ecclesiasticae historiae praebuit Deus tales fontes, e quibus omnes Christiani haurire cognitionem et possunt et debent, quique et varietate ipsa et non raro etiam difficultate sua cogunt excellentissimos quosque altius semper inquirere, quid vere sanctum sit Divinumque. Sic per constantem inquisitionem et rei

Christianae ex vero aestimationem nullo quidem modo fons ipse religionis Christianae mutatur vel perficitur, qui in Christo et Ecclesia adest immutabilis et perfectus, etsi sensim uberius fluens; veruntamen ex hoc fonte homines plura semper et puriora haurire possunt. Quo ipso fieri nequit, quin religionis hujus Christianae et vera cognitio et per hanc vera aestimatio et sincera praxis increscant atque in perpetuum sint progressurae.

APOLOGETICES CONCLUSIO.

§ 98.

Apologetices summa.

Vidimus igitur, institutis et comparationibus historicis et philosophica naturae humanae contemplatione,

1. Jesum Christum adeo perfecte Divinum esse atque humanum, ut non modo aequalis ei nemo unquam fuerit, sed et perfectionem ejus omnem mens humana vix comprehendere nedum cogitatione superare queat; quare summo jure ipse de se dixit: *Οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ*, Joh. 14: 6.

2. Ecclesiam autem Christianam esse societatem, reliquas in genere humano societates omnes perfectione longissime superantem, aptamque quae homines omnino omnes cum Deo eoque ipso secum invicem intime aeternumque conjungat, atque ita beet; ut verissime dicatur *τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου*, Eph. 1: 23.

3. Religionem denique Christianam esse vitam hominum cum singulorum tum conjunctorum optimam et beatissimam, qua, quo magis gaudent homines, eo perfectius et cum Deo communionem et secum invicem atque cum omnibus in toto mundo Dei filiis consociationem habent aeternumque habebunt beatissimam: *Οἴδαμεν, ὅτι ζωὴν ἔχομεν αἰώνιον*, 1 Joh. 5: 13.

4. Sunt ergo in Divina per Christum generis humani institutione, uti in alia re nulla, *πάντα θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πάντα*, summoque jure haec sese divino hominum ingenio commendat perpetuoque magis commendabit.

THEOLOGIAE CHRISTIANAE UNIVERSAE

CONCLUSIO.

§ 99.

Totius disquisitionis dogmaticae et apologeticae summa.

E fide, qua nos Christo Deoque confidimus, procedentes, inquisivimus in omnem religionem Christianam, ut, quam sentiebamus, hujus veritatem et praestantiam summam clare etiam perspiceremus. Atque ita, quod, coll. p. 144 in *annot.*, nostro tempore aliis etiam magis magisque illucescere gaudemus, nobis quoque perspectum est. Vidimus nempe, eam unam esse et humanae et Divinae naturae plane consentaneam hominis generisque humani cum Deo conjunctionem, per Divinum hominem Jesum Christum ortam et in aeternum perficiendam: sive eam unam *et* origine pure Divinam esse simulque modo, quo orta est perficiturque, humanissimam, *et* praestantiâ suâ Deo congruentissimam generisque humani desideriis destinationique summae penitus respondentem, *et* consilio suo eo tendentem, ut per θεάνθρωπον genus humanum indolis salutisque Divinae plane particeps evadat, fiantque Divinitus per Dei Filium homines omnes cum Deo eoque ipso secum invicem et cum omnibus in tota rerum natura Dei filiis in aeternum conjunctissimi.

Haec ergo una religio humanissima eademque plane Divina ut magis magisque in toto genere humano vivat vigeatque, faxit per Christum Pater coelestis, cui honos sit et laus et gloria omnis!

INDEX ALPHABETICUS
rerum magis memorabilium.

COMPENDIUM
DOGMATICES ET APOLOGETICES CHRISTIANAE.

IN SCHOLARUM SUARUM USUM
SCRIPSERUNT

L. G. PAREAU ET P. HOFSTEDE DE GROOT.

EDITIO TERTIA, AUCTA ET EMENDATA.

GRONINGAE,
Apud C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

1848.

B